


Male
1
ar. S.
OPUS
alit
1
1905

XI

St. 41.



dem Herrn Gelehrten
Haus
seiner Laien

Zweckbestimmung

der Hause Pro.

D I S S E R T A T I O
I N A V G U R A L I S I V R I D I C A
D E
CONCVRSV
DELICTORVM FORMALI

Q V A M
S V B A V S P I C I I S
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
P R I N C I P I S

G V I L I E L M I I X.

HASSIAE LANDGRAVII REL.

ACADEMIAE
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

PRO SVM MIS
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS
D. XXXI. OCT. A. MDCCC.

PUBLICE DEFENDET

A V C T O R
Fr. CAR. DE SAVIGNY
MOENO - FRANCOFVRTANVS.

M A R B V R G I,
TYPIS KRIEGERI ACADEMICIS.



C O N S P E C T V S.

	Pag.
P rooemium. (§. 1.)	5
I psius Tractationis:	
I. Pars philosophica. (§. 2.)	12
II. Pars positiva:	
I. Ius Romanum:	
Praemonenda. (§. 3.)	19
Singulae Delictorum concur-	
rentium species:	
A. Delictorum privatorum	
inter se. (§. 4 - 12.)	24

B. Delictorum privatorum cum criminibus publicis. (§. 13 - 17.)	56
C. Criminum publicorum inter se. (§. 18.)	109
D. Extraordinariorum Crimi- num cum delictis privatis. (§. 19.)	113
E. Extraordinariorum Crimi- num cum publicis criminib- us. (§. 19.)	—
F. Extraordinariorum Crimi- num inter se. (§. 19.)	—
2. Ius Germanicum. (§. 20.)	120
Libelli Summa. (§. 21.)	125

PROOEMIUM.

§. I.

Priusquam ad ipsam rei propositae tractationem accedo, universam quam mihi hac scriptione explicandam sumsi rationem accuratius exponendam esse arbitror. Quae quidem expositio brevi concursus formalis definitione absolvi non poterit. Quicunque enim hanc causam scripto attigerunt, nulla magis re quam alias atque alias quaestiones inter se miscendo eo pervenerunt, ut simplissimam eam maximeque perspicuam impeditissimam redderent obscurissimam-

que. Itaque universum primo concursus argumentum perlustrare, eoque modo nostram eius rei partem undique circumscribere constitui.

Delicta concurrere dicuntur, ubi de pluribus legum violationibus, quorum nonnisi unus est reus, in eodem iudicio puniendis agitur. Duplex in hac re moveri potest quaestio, prout in modo poenarum coniungendarum (*Quantitaet der Strafe*) substiteris, vel ad naturam quoque earum (*Qualitaet der Strafe*) resperxeris.

Iam primum prioris quaestionis equidem hunc sensum esse statuo, ut e solo delictorum concursu poena omnibus simul imponenda constituatur. Quo in loco de *delictorum concursu* stricte agitur. Iam cum huius capitinis praecepta ad ipsa

facta applicanda poenaeque statutae exsequendae sint, non potest etiam naturae singularum poenarum non ratio haberi. Atque hoc loco continuo illud obvium est, nunc, sicuti multis pluribus concurrentibus, omnes poenas exerceri posse, nunc, quod de pluribus capitalibus suppliciis statuendum esse appareat, altera alteram excludi. Quare ad priorem illam iam altera de *poenarum concurfu* accedat quaestio necesse est, qua non nisi hoc examinetur, quantum subinde ratione prioris capitum pracepta circumscribenda sint atque immunita.

His ipsis illud satis monstrasse mihi video, universam hanc quae circa delictorum concursum versatur rationem ita demum confici posse, ut duo ejus capita probe discernantur et in utrumque

figillatim inquiratur. Missa igitur illa quaestione, quae de poenarum concursu est, quippe cum huius libelli confilio minus coniuncta, in priore capite diligentius explicando subsisto. In quo, ut supra dixi, de pluribus legum violationibus videndum est, quae quidem ipsae duplicis generis esse possunt, prout uno tantum facto aut pluribus factis contineantur. Finge illud ita fieri; *formalis* concursus existet, finge hoc; *materiale* habebis. (1)

(1) Quavis enim a plurimis DD. *simultaneus* ille, hic *successivus* vocetur, quibus vere nominibus eiusdem temporis facta, ab iis quae in diversa tempora cadunt distinguuntur, ab hoc tamen loquendi genere recedendum esse putavi, cum plura quoque facta eodem temporis momento perfici possint, ideoque materialis concursus possit esse simultaneus. Idem sensisse videtur ill. GROLMANN CRW. §. 159. not. I.

Iam in hoc (concursu materiali) explicando perpaucis defungar. Nam ubi plura concurrunt facta, quibus singulis certae poenae praefinitae sunt, singulae cuiusque facti poenae expetendae erunt. Et hoc quidem ita planum mihi videtur certumque, ut neque ullam pro contraria quadam sententia rationem afferri posse putem (²), neque hanc rem a le-

(²) Nam L 67. §. 2. *de furtis*, quae de delicto in eadem re repetito contrarium statuere a nonnullis dicitur, id potius factum tractat, quo is qui mihi rem furto amoverat eandem sibi subreptam rursus alteri furi subripit. Adversus eum unam tantum *furti actionem* mihi esse hac lege statuitur. Quod si hanc ipsam sententiam admiseris (obstare enim videtur L. 76. §. 1 eod., de qua tamen cum illa concilianda haudquaquam desperandum est), eius ratio non in pluribus factis unica poena vindicandis, sed in eo quod *mihi* semel res subrepta est, *tibi* erit quaerenda. Illud magis factum ad hanc rem pertinet, quo rem mihi subreptam eandemque receptam idem fur

gibus tantum non omissam esse ⁽³⁾
mirer.

Neque vero illud, quod quaestiones nonnullae, quae ad continuatum ideoque ad materialem concursum pertinent, et per se dubiae sunt et inter Iureconsultos controversae, si accuratius rem inspicias, adversatur meae ratione. Istae enim quaestiones, utpote quibus de finibus singulorum factorum per se absolvitorum (*der einzelnen Handlungen*,

denuo mihi subripit: quo ipso facto *duplicem* mihi furti actionem leges concedunt. Vid. L. 46. §. 9. et L. 56. pr. de *furtis*.

(3) Nam praeter eas leges quae privata delicta tractant (quo quidem hae pertinent: L. 2. de *priv. del.*, L. 27. pr. ad L. *Aquil.*, L. 32. §. 1. eod., LL. 46. et 59. *citt. in not. praeced.*) vix ullus reperietur locus, qui ex professo de hac re agat. Sic L. 7. §. f. de *accusf.* de foro potius quam de poena statuit.

in wiefern iede für sich ein Ganzes ausmacht) constituendis dubitetur, et an vere sit concursus potius, quam quid in concursu statuendum sit, quaeratur, non ad illam scientiae partem, quae concursum tractat, referenda, sed in iis numerandae sunt, quae de notione factorum per se absolvitorum agunt.

Remoto igitur *poenarum* absolu-
toque *materiali delictorum* concursu,
cum solus *formalis* concursus *delictorum*
tractandus restet, huius tractationem
ita instituendam esse putavi, ut, praemissis iis,
quae ex ipsa Legis poenalis
natura hac de re statuenda sunt (S.I.),
ius Romanum primo (S II.), deinde ius
quoque patrium (S. III.) illustrarem.

S E C T I O I.

TRACTATIONIS PARS PHILOSOPHICA.

§. 2.

In philosophica huius argumenti disputatione alia est quaestio iuridica, alia politica. Primo enim disputari potest, quoniam modo concursui formalis a Legislatore e fine Legum poenalium providendum sit: quae quidem quaestio ad legum poenalium ferendarum, non ad iuris scientiam pertinet. Deinde, si tali lege prospectum non sit, quid in huiusmodi concursu a iudice statuendum sit, quaeretur. Et de hac quidem iuris

qnaestione primo loco agendum esse
videtur.

Ut igitur sit unicūm factum pluribus legibus contrarium, sicuti perurium, quo quis supplicii de innocentē sumendi causam praebeat, hoc de facto non nisi ita recte statues, ut singulis legibus ab eo quem dico homine violatis componas. Iam perurium factum est, perurium igitur est puniendum. Sed etiam ad homicidium perpetrandum concurrisse eundem hominem negari non potest, quare huius quoque criminis poena ipſi imponenda. Neque enim ulla lex poenalis aliud agit, quam ut facinus ponat, quo admisso poena quaedam decernenda sit, neque iudici aliud agendum est, quam ut illud factum, necne fit, videat, idque ipsum ei vel puniendi vel absolvendi rei cauſsa fit. Iam cum in ea re quam finximus de neutra lege contendi possit, in eam non esse commissum, utriusque legis poenam iudex iniungat necesse est. Scriptores, qui

contrariam tuentur sententiam, in eo potissimum nituntur, quod singula delicta singulæ sequi debeat poenæ (¹).

(¹) Vid. ill. KLEINSCHROD *syst. Entrw.* Tb. 3. §. 102. et ill. GRÖLMAN *CRW.* §. 162, qui tamen haud satis sibi constant, cum unicam poenam, quam admittunt, aliquantum auetam velint. Nam si unicum huius generis concurso contineri delictum statuas, *sola* eius poena decernenda est, quoniam eius augendae, i. e. a lege recedendi facultas nulla alia lege est concessa. Sed etiamsi a iudicis officio, ipsis legibus exercendis adstricto, animum avertas, nec legislatoris, si constare sibi velint, esset, poenae unius delicti cumulum quendam addere, quod ipsum delictum, altero concurrente, per se auetum non sit. Ita neque in facto supra proposto homicidium qua tale, neque iniuriā per vim publicam illatā, ipsa vis, qua talis, concurrente altero delicto aggravata censenda est. Hoc ipse ill. KLEINSCHROD sensisse videtur, qui in §. 103 a sententia sua in eo rursus recedit, quod, *quo magis legibus satisfiat*, illud maioris poenae augmentum in poenae minoris parte consistere vult.

Hoc ipsam facile concedo, sed delictum de quo inter nos agitur unicum esse nego. Si enim (quod neque illi negare poterunt) laefione legis poenalis absolvitur delicti notio, tot delicta statuenda sunt, quot quis legum sanctiones violaverit.

Quid autem statuamus si *eiusdem generis* delicta concurrant, i. e. si utrumque delictorum concurrentium e pluribus factis ita compositum sit, ut partem quandam habeant inter se communem? Exempla res illustrabitur. Furto magno armis commisso, concurrit furtum magnum cum furto qualificato. Utrumque aliquid cum altero commune habet: habet etiam peculiare quoddam furti augmentum. Itaque si poena furti sit = 3, poena furti magni = 4, furti qualificati = 5, in concurso quem supra posuimus ea poena erit decernenda, qua et furtum et utraque furti accessio vindicetur. Erit igitur = 6. Aliud statuendum erit, si delictorum concurren-

tiūm poenae individuae sint, ita ut haec computatio fieri non possit: iam enim (estque haec res ad poenarum potius concursum referenda), utriusque delicti poena erit imponenda.

Illud igitur effecisse mihi videor, in concursu delictorum formali, de quo nihil quidquam aliqua lege statutum sit, omnium poenas simul a iudice esse decernendas: iam, antequam de ipsis quibus utimur legibus, utrum confirment haec, an immutent, videamus, quaestio politica: *quid haec in re legislatori agendum sit?* pro huins libelli confilio stringetur magis quam conficietur.

Primo igitur, si concursum nostrum ad omnium omnino *poenarum finem*, qui in cavendis laesioribus positus est, referimus, facile perspicitur, iniuria cum vi publica coniuncta duplex ius non minus violari quam si utrumque delictum diverso facto commissum esset, ideoque dupli huic laesioni duplice

quoque poena esse providendum. Verum si ad *ipsum agentem* eam rem referas, aliud fortasse statuendum esse aliis videbitur. Unam enim esse actionem, una igitur poena finem illum contingi posse contendent. Hoc si admittas, non ut illorum fert sententia maximam, sed eius potius delicti, quod praecipue intenditur, poenam iniungas necesse est. Ita quod hoc loco posuimus, in eo non vis publica, quae gravior est, sed iniuria, cuius cauſsa delictum commissum est, puniretur. Verum nullo modo istos audiendos esse censeo. Actio enim, de qua agitur, cum duae res sint, quo referatur, maiore ob id ipsum vi animum agentis commovere potest. Sic, ut hoc utar, homo violentiae cupidus iniuriam, quam vere intendit, multo magis appetet, quae per vim inferri poterit. Itaque neque certum est, una poena hanc actionem impeditumiri, neque a dupli- ci poena, quae sola securitatem illam, cuius cauſsa omnis poena constituitur, praestare potest, aliquid remittendum est.

B

At vero, quod iam antea attigimus,
ubi delictis eiusdem generis concurren-
tibus propter individuas singulorum poe-
nas iusta computatio institui nequit;
novi aliquid a legislatore constituendum
est. Peculiarem igitur in hac concursus
specie poenam statuat, quae et delictum
utriusque commune et peculiarem utrius-
que partem complectatur.

S E C T I O I I.

D E I U R E R O M A N O.

FINESTRES ad L. 32. de O. et A. (in Comm. ad Hermogenianum, Cervariae 1757, pag. 601—644.)

SUAREZ DE MENDOZA ad L. Aquil., Lib. 3. Cap. 1. 2.
(Thes. Meerm., Tom. 2. pag. 140—150).

§. 3.

Tria in iure Iustinianeo distingueda sunt delictorum genera, privatorum delictorum, criminum publicorum et extraordinariorum, in quibus inter se componendis tota nostra versabitur disputatio. Neque enim publica crimina omitenda, neque actiones mixtas in concurso diiudicando addendas esse censeo.

Quod ad prius attinet, de eo quidem constat, Ulpiani temporibus omnia omnino crimina extra ordinem et tractata et punita esse. Attamen iis ipsis temporibus in criminibus publicis tractandis peculiaria quaedam observata esse legimus, quae aut usu aut lege Iulia iudiciorum publicorum quondam fuerant introducta. ⁽¹⁾ Itaque ne ab eo quidem iure, quod Ulpiani temporibus viguit, crimina publica aliena censenda sunt: tantum abest, ut in explicando iure Iustinianeo, quo et singularia illa retenta et poenae antiquae publicorum nonnullorum iudiciorum restitutae sunt, eorum tractatio omitti debeat. E contrario actiones mixtae, quarum vel mutuum inter se vel cum poenalibus actionibus concursum a reliqua disputatione plerique seiungunt, peculiarem explicationem haudquaquam postulant. Omnis enim mixta actio duabus vere actionibus con-

⁽¹⁾ Exempla invenies in L. 7 de publ. iud., L. 20. de accusat. et L. 15. §. 1, ad Sc. Turp. (coll. cum L. 7. §. 1. eod.)

stat, rei persecutoria et poenali, quae nonnisi in iudicio instituendae persecutio-
nis causa pro una habentur. Cum autem ipsorum iurium, quae duabus his actionibus exercentur, diversa est conditio, ipsae statim actiones ita divi-
duntur, ut altera earum pars evanescat,
altera in iudicium deducatur. (2) Ita-
que ubi actiones per se tractantur, mix-
tis actionibus peculiaris assignandus est locus, ubi de iuribus ipsis agitur, par-
tim poenarium, partim rei persecutoria-
rum conditione utuntur.

E tribus illis delictorum generibus si privata prius delicta et publicorum iudiciorum crimina, quorum antiquum

(2) Exempla in utramque partem proponam.
 Poena, quae actioni mixtae inest, per anna-
 lem praescriptionem extincta, eadem actio ad
 solam rem petendam remanet. *L. 4. §. 8. vi
 bon. rapt.* Sed faciamus, ipsam rem ultro
 restitutam esse, actionis mixtae pars rei per-
 secutoria extincta est, poenalis pars restat.
L. 5. vi bon. rapt.

est ius atque ordinaria forma, inter se contuleris, tres nascentur concursus species: 1. delictorum privatorum inter se; 2. delictorum privatorum cum criminibus publicis; 3. iudiciorum publicorum inter se. Quod si extraordinaire crimina illis admiscueris, accidenti concursus: 4. extr. cr. cum del. priv. 5. extr. cr. cum crim. publicis; 6. extr. crim. inter se.

Verum antequam has ipfas concursus species figillatim illustro: de oratione legum recte intelligenda pauca monenda esse censeo.

Primo enim hoc teneas velim, vocabulorum *delicti* et *criminis* usum non sicut nobis, ita Romanis quoque promiscuum esse, sed *delictum* eodem modo quo delictum privatum, *crimen* eodem quo crimen publicum aut extraordinarium ab ipsis usurpari, ubicunque di-

stinctiore quadam notatione opus esse videatur⁽³⁾. Ex innumeris huius rei exemplis satis erit attulisse unum Ulpiani locum (L. 17. §. 18. de aedil. edicto) quo sane nihil evidenter cogitari potest: *Noxas, inquit, accipere debemus privatas, hoc est, eas, quaecunque committuntur ex delictis, non publicis criminibus.* Hinc falsa appetet quae a plerisque defenditur

(3) Exstant enim ICTORUM Romanorum fragmenta, quae, cum generalem quandam regulam rationemve contineant, ob ipsum hoc argumentum circumscriptiorem orationem non desiderant. Ita in L. 15. pr. qui et a quibus manumissi, L. 41. in f. de poenis, et L. 131. §. 1. de V. S. vocabulum *delictum* latiore sensu adhibetur. Attamen in posteriore loco, postquam repetita vice illud factum est, in rectiorem loquendi usum Ulpianus revertitur, verbis: *cui huius criminis sive delicti executio competit, ubi usitatiorem vocabuli sive vim disjunctivam frustra in dubium vocare student.*

sententia, generalem formulam qua in doctrina nostra utamur inesse Legi 2. pr. de priv. del. Nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur: neque enim delictum ob aliud delictum minuit poenam. Egregie hoc confirmatur exemplis huic regulae subiectis, ubi in ipso homicidio aliisque publicis crimibus de actionum tantum poenalium concursu agitur.

Neque vero illud negligendum est, in dicta L. 2. pr. de priv. del. nonnisi materialem concursum tractari, quod et ipsum tum probatur exemplis subiectis, tum vero convenit cum aliorum loquendi more, qui materiali concursu plura delicta, formaliter unum delictum contineri censem, sicuti Hermogenianus in L. 31. de O. et A.

§. 4.

I. *Actionum poenaliū mūtuū inter se* concursus duplice rursus modo effungi potest, prout eidem omnes homini, vel

aliis aliae actiones competant. Quorum posterius et rarius evenire solet, et nihil praebet de quo dubitetur. Nam et Ulpianus (*L. I. §. 9. de iniur.*) et Paulus (*L. 18. §. 2. eod.*) plures e tali facto actiones ita concurrere statuunt, ut neutra aliam minuat: neque ex his locis dubiam unquam fuisse hanc quaestionem appareret.

Longe alia prioris conditio est quaestio-
nis: de qua ab iis qui summum ad-
huc in iurisprudentia locum tenerent
omni studio atque contentione semper
disputatum est. Neque est in hac re
quidquam quod admirationem nobis ex-
citet. Ipsorum enim Romanorum ICto-
rum de hoc concursu iudicia adeo inter-
se dispergunt, ut vix ulla res inter ipsos
minus convenire videatur. Quicunque
igitur hanc rem illustrare studuerit, in
conciliandis legibus praecipuam operam
ponat necesse est, praesertim cum vix
alia interpretatione singulorum textuum,
quippe per se satis perspicuorum, opus
sit, nisi quae conciliationi inserviat.

Quod quidem ita equidem efficere conabor, ut quonam modo universae quae hanc rem tractant leges accipiendae atque inter se componendae mihi videantur, prius exponam, deinde aliorum sententias cum meis placitis conferendo in ipsas huius rei rationes inquiram, easque diligentius expendam.

Equidem in legibus quae hoc spectant explicandis, quo quaeque tempore scripta fuerit in primis videndum esse censeo. Summam enim inter ipsos Romanos I Ctos usque ad Ulpianum et Modestinum de hac re controversiam non tam ab aliis relatam accipimus quam nostris potius oculis subiectam ipsam perspicimus. Quae quidem controversia, ut multae iuris nostri partes, a singularibus quae animo conceperant eventis initium sumisse, indeque ad summa et universa quaedam pracepta deducta esse videatur. Tres aetatem tulerunt de tota ressententiae, quibus singulis eas, quae singulare quoddam factum tractant, admiscebo.

§. 5.

A. Fuerunt, qui formalem actionum poenalium concursum *electivum* esse, itaque altera actione instituta alteram statim totam extingui contendenter. Haec est sententia *Modestini* in lib. 3. regulorum (*L. 53. pr. de O. et A.*):

Plura delicta in una re plures admittunt actiones: sed non posse omnibus uti, probatum est: nam si ex una obligatione plures actiones nascuntur, una tantummodo, non omnibus, utendum est.

Iam illud e ratione subiecta patet, verba *in una re pro in uno facto* a Modestino adhiberi, ideoque de formalis concursu hoc loco quaeri. Quae quidem ipsa ratio, ab aliarum actionum concursu desuinta, nec nisi modo quodam adhibito vera est, nec in eam rem de qua agitur cadit, quod ex altera quam mox proferam sententia melius intelligetur. Ita quoque factum esse videtur, ut hanc pauciores amplectentur rationem: nul-

lus certe alias pro ea citari potest textus,
nisi quod de damno cum iniuria con-
iuncto quosdam idem statuisse referat
Paulus in *L. 34. pr. de O. et A.*

§. 6.

B. Missa ea, iam ipsam Pauli sen-
tentiam, illâ et solidiorem et receptio-
rem, in medium profero. Quae cum,
altera poena soluta, alteram quoque
pro ea parte qua priorem excedat expeti
posse statuat, et electivo et cumulativo
concursum favere dici potest. Quod si
solum eventum spectaveris, electivum
concursum habebis, protracto tantum ul-
tra consuetum modum eligendi iure, si
ipsas actiones respexeris, cumulativus
erit concursus, ita tamen comparatus,
ut alterius actionis usum ad conditio-
nem quandam adstrictus, tum, si ea con-
ditio extiterit, intra certos fines inclu-
sus sit. Verba Pauli in lib. 22. ad edi-
ctum (*L. 41. §. 1. de O. et A.*) sunt
haec:

Si ex eodem facto duae competant actiones, postea iudicis potius partes effe, ut quo plus sit in reliqua actione, id actor ferat: si tantundem, aut minus: id consequatur.

Emendanda esse ultima verba, equidem haud negaverim: attamen Cuiacii ab omnibus fere recepta emendatione, qui *nil pro id legendum censet*, modestior mihi videtur Pagenstecheriana, qua, non nisi unica litera mutata, pro *id consequatur* ponitur *id* (i.e. eius condemnatio) *non sequatur*. Utramlibet probaveris: haud diversus certe erit verborum sensus, idemque et propter priorem legis partem et ob alios quamplurimos textus certissimus. Qui cum tantum absit ut solarum poenarium actionum finibus contineatur, ut omnium potius actionum (quantus est) complectatur ambitum, veram nobis viam demonstrat, qua ad originem eius in qua explicanda iam versamur sententiae perveniamus. ICti enim, ex quo ad subtiliora de concursu

praecepta progressi essent, summam in
hac re formulam quaesivisse videntur,
quae omnem omnino formalem concur-
sum comprehendenderet ac regeret. Iam
cum reliquarum actionum maxima pars
ita concurrat, ut priore actione peracta
posterior, quatenus priore uberior sit, in-
stitui adhuc possit (¹), hoc, sicut in
textu proposito vidimus, in summam de
formali concursu regulam conversum,
eique poenale quoque actionum genus
subiectum est. In eandem sententiam
Paulus, tum de damno five cum iniu-
ria (²) five cum antiquiore arborum cae-
farum delicto (³) coniuncto, tum de

(¹) De qua quidem re inter Romanos ICtos ma-
gis constituisse videtur, quam inter recentiores.
Cf. FINESTRES §. 34 — 52. et SUAREZ L.
3. C. 3.

(²) L. 34. pr. de O. et A. (Lib. sing. de conc.
act.) ubi aliorum quoque de hac re sententiae
nonnullae afferuntur.

(³) L. 1. arb. furtim caef. (Lib. 9. ad Sabinum)
Si furtim arbores caesae sint, et ex Lege Aqui-

furto cum rapina concurrente (⁴) pro-nuntiavit. Attamen non totus sibi con-stat, cum adversus tutorem, qui e rebus pupilli aliquid abstulerit, actiones furti et de rationibus distrahendis in solidum instituendas admittat (⁵), etiam si nulla ratio appareat, qua hoc delictum a prioribus distinguatur.

Hoc unum tantummodo ad hanc sententiam illustrandam restat, ut Iuliani locum quendam (*L. 47. ad L. Aquil.*) pro illa minus recte af-ferrari demonstrem. Cum enim de *vulne-*

lia, et ex 12 Tabularum, dandam actionem,
LABFO ait. Sed TREBATIUS ita utramque
dandam, ut iudex in posteriore deducat id,
quod ex prima consecutus sit, et reliquo con-
demnet. Ex qua lege explicanda est *L. 11. eod.*

(⁴) *L. 88. de furtis* (lib. sing. de concurr. act.)
et *L. 1. vi bon rapt.* (lib. 22. ad ed.), e qui-
bus patet, Paulum pro nec manifesto furto ra-
pinam habuisse, adversante Papiniano et quo-
dammodo Ulpiano.

(⁵) *L. 2. tutelae* (lib. 8. ad Sab.): — *Utraque*
autem actione obligatur, et altera alteram non
zolle.

rato servo fuerit actum , isque servus ex eodem vulnere postea mortuus fuerit , dominus ex Ulpiani (L. 46. eod.) et Iuliani sententia denuo de *occiso* agere poterit , sed (haec sunt ipsa Iuliani verba) *exceptione dolii mali opposita compelletur* : ut ex utroque iudicio nihil amplius consequatur , quam consequi deberet , si initio de *occiso homine egisset* . Quae quidem iudicia eundem habebunt exitum , quem concurrentibus actionibus Paulus praestituit : at , quia aliud factum subest , non ex eadem regula velut ex communi quodam fonte Iuliani fluere potest ratio . Nam cum simplici facto in unam tantum legem , quae de damno cavet , commissum fit , singulare statuendum est delictum , cui non nisi aestimatio quaedam nova ex novo eventu accedere posfit . Quare , si totam rem nova complectatur aestimatio , minorem aestimationem prius solutam ab illa deduci bona fides iubet .

§. 7.

§. 7.

C. Ad tertiam sententiam transeo,
quam et Papinianus et Ulpianus et Ne-
ratius defendunt, utramque actionem
ita admittentes, ut altera poena soluta
alteram haudquaque minuat.

Papiniani iudicium exstat in *L. 6.*
pr. ad L. Iul. de adult., ubi contra servae
stupratorum et legis Aquiliae et iniuria-
rum et servi corrupti actiones quando-
que competere, *nec propter plures actio-*
nes parcendum esse in huiusmodi crimine reo
statuit.

Eodem modo Neratius patrem, cu-
ius filio facta sit iniuria, non impedien-
dum esse ait, quo minus *duobus iudiciis*
et suam iniuriam persequatur, et filii (*L. 41.*
de iniur.). Et hunc quidem locum huc per-
tinere ex eo apparet, quod ante adven-
titium peculium introductum (cuius rei

C

prima initia continet *L. 1. C. de bonis maternis*, a Constantino promulgata) patri omnes actiones filii adquirebant: quare cum illud factum a Neratio tractatum et immediatam filii et mediatam patris contineat iniuriam, ex eo duplex ipfi patri competit actio ⁽¹⁾, qto ipso ea de qua iam agitur concursus species continetur. Id enim, quod laesa non sit eadem utroque delicto persona, ad hanc quaestione nihil refert.

Denique Ulpianus provocandus nobis est testis huius rei omnium locupletissimus, cuius scripta regulam istam non singulis tantum factis applicatam ⁽²⁾, sed etiam summa quadam formula expressam continent. Qui quidem in lib. 17. ad edictum (*L. 60. de O. et A.*):

(¹) Atque hunc in sensum ex cit. *L. 41. et ex L. 18. §. 2. inf. de iniur. explicanda est L. 1. §. 9. cod., verbis: *et ipfi*.*

(²) Cuiusmodi exempla sunt haec:

a) *Actio furti cum actione de rationibus distrahendis concurrens.* *L. 1. §. 22. de tutelae*

Nunquam, ait, actiones poenales de eadem pecunia concurrentes alia aliam consumit.

Quod si primam huius legis vocem (*nunquam*) deleveris, Pauli sen-

et rat. distr. (lib. 36. ad ed.), verbis enim: *hac actione post §. 19. occurrentibus actio nem rat. distr. significari, §§. 20. 23 et 24 docent.*

b) *Actio furti concurrens cum act. servi corrupti. L. 11. §. 2. de servo corrupto.* (lib. 23. ad ed.).

c) *Actio iniuriarum concurrens cum actione legis Aquiliae (L. 15. §. 46. de iniur. [lib. 77 ad ed.]): — LABEO scribit, eandem rem non esse) vel cum actione furti (L. 25. de iniur. [lib. 18. ad ed.]), cuius ultima verba [quidam putant] de lege Aquilia proposito applicanda facto intelligenda sunt).*

Neutiquam huc referenda est *L. 14. §. 13. quod metus* (Ulp. lib. 11. ad ed.), qua actiones de dolo et quod metus caussa, quae ex eodem fluant facto, sese invicem consumere di-

tentiam habebis: qua voce reposita, mera istius sententiae existet negatio, qua ipsa Ulpiani iudicium continetur. Itaque si per se hanc legem spectaveris, neque vagus neque dubius eius sensus videbitur: neque alia ratione talis reddi potuit, nisi aliis non-nullis legibus, quarum similis est verborum conceptio, longe tamen diversa vis ac potestas, cum illa collatis atque

cuntur. Actio enim quod metus caussa non per se, sed ob restitutionem ante sententiam neglectam continet poenam, quae quidem restitutio denegata ne cogitari quidem poterit, ubi iam ipsa res alia actione repetita obtentaque fuerit. Quod ad actionem doli attinet, plurimum interest inter actiones, quarum non nisi origo atque usus poenalis est, (in quibus actio doli est habenda), easque quibus veram quoque poenam, i. e. diversum quid a rei persecutione, expetimus, de quibus solis hoc loco agitur. Et hanc quidem distinctionem non illius legis caussa a me effectam, sed ab ipsis potius Romanis Ictis inventam esse unicuique qui L. 7. §. 2. 4. L. 9. §. 1. quod falso tuatore, L. 9. §. 8. L. 11. de rebus auct. iud. poss. inter se contulerit, patere censeo.

confusis. Haec confusio ut tollatur, resque integra restituatur, singulas illas leges afferre, et peculiarem cuiusque sensum explicare constitui. Praetermissa igitur *L. 53. de O. et A.*, quippe iam supra illustrata, cum *L. 43. §. 1. de R. I.*, tum *L. 130. eod.* interpretandae superfunt. Illius, de promtae ex eiusdem Ulpiani lib. 28. ad edictum, haec verba sunt: *Quoties concurrunt plures actiones eiusdem rei nomine, una quis experiri debet.* Iam si in eam partem verba: *eiusdem rei nomine* acceperis, ut pro: *ex eadem re oriundae scripta putares, non citatis solum Ulpiani locis, sed, cum poenalibus actionibus haud adstricta sint, certissimis quoque aliis iuris praceptis adverfarentur.* Itaque de fine potius quam de causa actionis intelligenda atque ita explicanda sunt: *Quoties concurrunt plures actiones ad eamdem rem petendam comparatae, una quis experiri debet.* Qua quidem explicacione, quae et linguae convenit et princi-

pio huius legis optime confirmatur (³),
 comprobata , neque ad diversas poena-
 les actiones concurrentes , quibus nún-
 quam eadem res expetitur , eam legem
 referre , neque quidquam ex ea deduc-
 cere licet , nisi , quod ipsum in *L. 57. de*
R. I. statutum legimus , *bonam fidem non*
pati , ut bis idem exigatur. — Gemina huic
 lex (*L. 130. de R. I.*) ex lib. 18. ad edi-
 ctum in digesta recepta , his concepta
 est verbis: *Nunquam actiones , praesertim*
poenales , de eadem re concurrentes , alia
aliam consumit. Evidem haec verba:
de eadem re non de facto eodem (qua sola
 ratione ad concursum pertinerent) sed
 de re circa quam illud factum commit-
 titur , intelligenda esse eum ob nexum
 arbitror , quo ipsum Ulpiani dictum in

(³) Hoc enim principio reo permittitur , factum
 negare simulque exceptionem oponere , i. e.
 duplice modo ut eundem finem obtainendum
 uti. At ne quis ad actorem hoc extendat , sta-
 tim subiungit Ulpianus , actorem contra non
 nisi unico modo uti posse.

§. I. I. si quadrupes ad verba descriptum legitur. Ibi enim de damno, quod a bestia iuxta viam habita infertur, duabus actionibus, quarum diversissima sunt obligationum facta, agi permittitur, eiusque rei haec ratio redditur, quod *nunquam actiones* rel. Sed etiam si hanc explicationem admiseris, nostris tantum finibus expulsa, non ipsa sublata erit huius loci difficultas: nam si cum plerisque illud *nunquam* quibusdam exceptiōnibus additis restringere vellem, hoc non esset explicare textum, sed ipsum tollere. Haec est cauſa, cur hanc legem non sic explicandam censeam: *nunquam actiones, quae de eadem re concurrunt*, alia aliam consumit — sed ita potius accipendam putem: *nunquam actiones, ob id ipsum, quod de eadem re concurrant*, alia aliam consumit; causalem enim in participiis inesse vim, nemo est qui neget. (4) Interiecta denique

(4) Eandem regulam, in hunc sensum acceptam, applicatam invenies in L. 27. pr. ad L. Aquil.,

verba (*praesertim poenales*), ut ne generalem reliquorum vim tollant, ita potius intelligenda esse arbitror, ut poenilibus istam regulam tanquam notiorem atque exploratiorem afferant, quam ut latiorem eius regulae in ipsis esse ambitum (quod cum generali regulae vi utique constare non posset) significant.

Priusquam ab huius sententiae explicatione ad alia transeo, restat ut quoniam modo prioris sententiae rationibus ex ea responderi possit ostendam. Hoc quidem non negant, regulam a Paulo propositam in aliis concursus formis valere: sed in huius rei rationes inquirendo, hac re eas contineri aiunt, quod *eiusdem rei nomine*, i. e. ad eandem rem obtinendam, una solum actione experendum sit. Hoc ipsum ab Ulpiano agnoscitur (*L. 43. §. 1. de R. I.*), neque alio contra adversariorum consectaria argu-

L. 25. de iniur. (ex eodem Ulpiani libro de proutis) et in *L. 48. ad L. Aquil.*

mento utendum ei videtur, nisi quod illam rationem, ob quam vera aliquando sit ista regula, in poenales actiones nunquam cadere posse contendat, cum in his *eadem res non sit* (*L. 15. §. 46. de iniur.*).

§. 8.

Hactenus mihi visum est de diversis rationibus disputare, quas superior aetas amplexa est. Quam quae secuta est quo iure fuerit usus, refert Hermogenianus (*L. 32. de O. et A.*, e lib. 2. epit. depromta):

Cum ex uno delicto plures nascuntur actiones, sicut evenit cum arbores fur- tim caesae dicuntur, omnibus experiri vermittit, post magnas varietates obtinuit.

Reiectis igitur Modestini Paulique opinionibus, sententia Ulpiani est probata atque recepta. In eandem sententiam conceptum Iustiniani quoque editum exstat in *L. 20. C. de furtis* (§. 8.

I. de oblig. quae ex del.), quae ICTORUM de singulari facto dubitationem, utrum furti an servi corrupti actio danda esset, ita sustulit, ut utramque actionem concederet, neque modum aliquem iis exercendis imponeret, quod, si ullam aliam ac Hermogeniani sententiam Iustinianus comprobasset, fieri certe debuisset.

§. 9.

Postquam hoc exposui, quanam mihi ratione leges Romanae de poenalium actionum concursu statuentes intelligenda atque inter se componendae videantur, nunc ex innumeris quae de hac re exstant aliorum iudiciis nonnulla notata digniora afferam.

Cuiacius (¹), quo Pauli sententiae summi atque unici praecepti vim vindicet, adversas isti sentententiae leges hac ratione explicat: Etenim *legem 32. de*

(¹) In recitat. ad ff., in tom. 8. opp. ed. Neap. p. 360 — 364, et p. 716 — 718.

O. et A. ita accipi iubet, ut de instituen-
dae tantum actionis iure, quae tamen
actio neque omnino ad effectum adduci,
neque officio iudicis non excludi dica-
tur, (2) agat: *Legem 53 de O. et A.* aut
ad plenum itidem secundae actionis ef-
fectum aut ad eiusdem generis actiones
(i. e. aut rei persecutorias aut poenales)
inter se concurrentes referendam putat:
L. 60. de O. et A. (quam eandem esse ait
cum *L. 130. de R. I.*, nihil nisi et inscriptio-
ne et ipso textu mutato), immo etiam
L. 1. §. 22. et L. 2. §. 1. de tutelae et rat.
distr. ad materialem concursum trahendas
esse contendit.

Diverso modo Voetius (3) hanc rem
confidere sibi videtur, ita tamen ut in

(2) Haec Cuiaciana sententiae pars et Hoto-
manno (quaest. illustr. 29.) et Averanio (in-
terpr. III. 14. in fin.) et Suarezio (l. c. C. 2.)
probatur. Immo Suarezius eiusdem interpre-
tationis ope etiam *L. 15. §. 46. de iniur.* cum
Paulo conciliare studet.

(3) In Comm. ad ff. Lib. 44. T. 7. §. 16 — 21.

una lege interpretanda cum Cuiacio faciat. Ipsorum enim delictorum, quorum formalis est concursus, duo rursus genera facit, prout vel plane diversa sint, vel ita inter se convenient, ut alterum altero comprehendi dicas. Diversa delicta, et si unico facto commissa, singulis poenis singula vindicat: cuius rei exemplum afferit damnum quod iniuriae faciendae caussa inferatur, quare *Legem 34. pr. de O. et A.*, quae in eorundem delictorum concursu, altera actione perfecta, alteram *in id quod amplius in ea est* exerceri permittit, ita explicat, ut in ultravis harum actionum ex ipsa integra poena illud *amplius* constare dicat, cum nihil inter istas actiones commune sit. E contrario, si concurrentia delicta magna ex parte inter se convenient, Pauli sententiam Voetius probat, et, quo *Legem 31 de O. et A.* cum hac sententia conciliet, ea ipsa utitur interpretatione, quam, a Cuiacio inventam, tot scriptoribus placuisse supra dixi. At ne ipsam quidem distinctionem primus ex-

cogitasse dici Voetius potest. Eadem enim licet minus distinete ac dilucide docuerat Hotomannus (⁴), qui tantum abest ut etiam in *Lege 34. pr. de O. et A.* explicanda cum Voetio conspiret, ut ipsam potius Romanorum controversiam in ea agnoscat.

Denique de Finestresio (⁵) videamus, omnium quotquot de hac re inspicere mihi contigit et subtilissimo et elegantissimo. Is in totius rei praeceptis constituendis Hotomanni distinctionem, in *L. 32. L. 60. de O. et A. et L. 130. de R. I.* explicandis Cuiacum sequitur: *Lege 53. de O. et A.* cumulationem actionum in iudicio innui censet. Peculiaria quae habet haec sunt: *Legis 32. de O. et A.* interpretationem ut

(⁴) Quaest. illustr. 29., a quo caveas ne diversa eiusdem distinctionis designatione decipiaris. Ipsum enim formalem concursum aut *unum delictum* (uti arbb. furtim caef. aut rapinam) aut *plura delicta* continere ait.

(⁵) *L. c. §. 15 — 31. 53 — 58.*

certiorem reddat, in omni actionum concursu secundam actionem neque lite de prima actione contestata neque sententia de illa lata, sed solutione demum prioris poenae, ideoque in stricti iuris actionibus (cuiusmodi poenales quoque actiones sunt) non nisi exceptione extingui demonstrat: *Legi 34. pr. de O. et A. conciliandae Legem 8. C. de iniur. adhibet*, (6) qua ipsum quoque damnum actione iniuriarum contineri quodammodo statuitur: itaque nonnisi huius damni ratione altera actione alteram iniui contendit.

§. 10.

Evidem nunc, omissis absonis et ab explicando textu prorsus alienis nonnullorum interpretationibus (1), tum de

(6) Id etiam Averanio (interpr. III. 14. §. 11.) placet: ceterum neque Finestresium neque Averanius hanc alterum ab altero interpretationem accepisse affirmare ausim.

(1) Quo et Cuiacianam *Legum 1. 2. tutelae et Voetianam Legis 34. de O. et A. explicationes refero.*

distinctione, qua Hotomannus huic quae-stioni primus respondisse videtur, tum de conciliationis ratione omnibus quos iam recensui communis disputare constitui.

Iam qui delicta, quorum formalis est concursus, in *similia* et *diversa* distin-guunt, eos explicare student textus, qui in ipsis singulorum factorum quae-stionibus decidendis versantur. Et du-plice quidem ratione ea distinctio acci-pi potest, quarum utramque ex huius rationis sectatorum libris, quos quidem accuratius inspexeris, eruere poteris. At ubi rem ipsam potius quam verba eo-rum spectaveris, facile tibi apparebit, non tam in poena ipsius concursus for-malis constituenda, quam in eo illos versari, ut quibusdam factis huiusmodi concursum contineri negent. Nam aut *si-milibus* aut *diversis* delictis peculiare quad-dam tribuunt, quo a reliquis, i. e. ab ipso formali concursu, distinguuntur, ii-sque eximantur. Prius ita instituunt, ut in huius generis delictis (quo et rapi-

nam et arbores furtim caefas referunt)
 videri quidem plura inesse delicta , esse
 non nisi unicum contendant. Quemad-
 modum enim furti duo sint genera , vel
 manifesti vel nec manifesti , quorum
 utrumque altero excludatur , quaeque
 omne furtum comprehendant , ita si la-
 tius rem interpreteris , et ipsum furtum
 et rapinam eiusdem esse delicti genera ,
 quod aut vi aut sine vi committatur. In
 qua re vereor , ne gravissime fallantur.
 Nam si rapinae non aliam vim tribue-
 rent Romanae leges nisi gravissimae abla-
 tionis (ut ita dicam) speciei , gravior
 ei quam reliquis (i. e. quam ulli furti
 speciei) imponenda fuisset poena : iam
 cum eius poena non ita constituta inve-
 niatur , certissime inde sequitur , hac
 poena illam solam facti partem compre-
 hendi , quae rapinam a furto seiungat ;
 reliquam igitur partem , i. e. ipsum quod
 rapinae inest furtum , sua insuper poena
 esse puniendum. Eadem omnino ratio-
 ne intelligenda esse censeo haec Ulpiani
 verba (*L. 2. § 10. vi bon. rapt.*): *Caete-*

rum

rum neque furti actio, neque legis Aquiliae,
 contributae sunt in hoc Edicto: (i. e.
 in Edicto de bonis raptis) licet interdum
 communes sint cum hoc Edicto. Nam
 Julianus scribit eum qui vi rapit, surem
 esse improbiorem. Arborum furtim
 caesarum eadem, quae rapinae, est con-
 ditio, cum huic facto et ipsi damnum
 in genere insit, quod ex lege Aquilia
 puniatur, et speciale quoddam augmen-
 tum accedat, ob eam rem in qua dain-
 num committitur, quorum utrumvis pu-
 niveris, alterius poena nondum erit ex-
 petita. — Iam ad alteram illius distin-
 ctionis significationem venio, qua *diversa*
 delicta eo a reliquis secernuntur, quod
 ipsa obligationum facta in iis sint diver-
 sa. Id ob concursum furti actionis cum
 actione de rationibus distrahendis exco-
 gitatum esse facile perspicitur. Quo
 enim modo actiones de pauperie et ex
 aedilitio edicto concurrentes in diversis
 factis nitantur (§. 1. I. si quadrupes), eo-
 dem illis quoque singulis actionibus sin-
 gula esse obligationum facta statuunt.

D

At ubi ipsa obligationum facta ab iis
 quae, ut delictum quoddam existat,
 prius esse necesse est, distinxeris, facile
 intelliges, priore concursus specie ipsa
 facta esse diversa, cum altera obligatio
 ex ipsa dominii acquisitione, altera ex
 eo repetenda sit, quod quis noxia anima-
 lia eo loco quo eadem haberilege vetitum
 est habuerit: posteriore specie ex uni-
 ca rei pupillaris ablatione utramque
 actionem oriri, neque in alia re amba-
 rum initia differre, nisi quod altera prae-
 cedentem tutelae administrationem sup-
 ponat. — Iam hoc me effecisse arbitror,
 distinctionem illam nulla ratione defen-
 di posse. Sed ut vera sit, tamen illud
 non efficit, cuius caussa excogitata est,
 ut leges conciliet: supereft enim *L. 34.*
pr. de O. et A. et aliis legibus et ipsis
 regulis ex illa distinctione fluentibus
 adversa.

§. II.

Adeam rationem exponentiam tran-
 seo, qua generaliores aliarum legum

formulae inter se conciliandae inde a Cuiacio omnibus visae sunt. Est inter Ictos receptissimum quoddam conciliationis genus, facile magis commodumque quam securum atque legitimum. Admisen-
t enim atque inferunt legibus pug-
nantibus inter se aliena quaedam qui-
bus arctius ipsas circumscrivant, eo
confilio ut, quae utriusvis pars alteram
ab altera distinere videatur, hoc ipso
tollatur. Quod si in originem huiusmo-
di interpretationis inquisiveris, eam hanc
esse invenies, quod quis aliquam formu-
lam, aut ex alia lege defumtam aut a
femet ipso effectam, verum esse atque
summum in quadam re praeceptum fir-
miter statuerit, atque ita demum legem
quandam aggrediatur, non ut eam in-
telligat, sed ut illud ipsum legi inesse
demonstret, suumque ipsi sensum inde
extorqueat. Haec igitur conciliatio sin-
gulas leges non tam explicat quam per-
vertit ipsisque derogat. Legis enim vis
non in hoc solo consistit, ut ab eo quod
ipsi prorsus contrarium sit caveatur, sed

id quoque comprehendit, ut totus legis ambitus firmus atque intactus servetur. Hanc igitur conciliandarum legum rationem improbare, immo totam reiicere nullus dubito. Atque haec est cauſa, cur a Cuiacii auctoritate in hac re sententiam meam feiungendam esse censeam: quem quidem eas leges, quae de omnibus actionibus aliquid negent statuantve, ad certum actionum genus restringere iam supra dixi. Longe alia est conciliandi ratio, quae ab ipsis interpretandis legibus profecta et inter harum fines sese continens hoc solum agit, ut e pluribus verborum aut singulorum aut inter se coniunctorum significationibus eas eligat, quibus electis omne legum dissidium cefset. Neque legitima tantum sola haec est ratio, sed etiam certior priore atque firmior. Quamquam enim negari non posst, in hac quoque interpretis arbitrio non nihil permitti, ipsum tamen ista ratione arbitrium arctioribus finibus includitur, cum illam si sequaris ita vagum relinquatur ac pene infinitum

ut nihil fere sit, quod aut certius statui,
aut prorsus negari ac refutari possit.
Mirum sane maximeque insigne huius
rei exemplum ipse nobis praebuit Cuiac-
cius, qui in *LL.* 32 et 53. de *O et A.* con-
ciliandis duplice illic, hic triplice utitur
modo, quos singulos deinceps aequa
probans lectoribus eligendi optionem
facit.

§. 12.

Mihi igitur sola posterior ratio (quam
quidem genuinam et nativam, sicuti
priorem spuriam et alienam vocaverim)
adhibenda visa est. Neque in hac ipsa
quidquam esse quod impugnari possit ar-
bitror, sed finem potius atque exitum
disputationis improbabunt, de quo iam
paucis agendum est. Diversa enim il-
lis ratione utendum esse videtur, alia
cum de historia eius iuris quod in aliqua
re valuerit enucleanda, alia cum de ipso
quo nos utamur iure exponendo agatur.
Illud ut obtineatur, plurium fragmento-
rum digestis infertorum dissidia agnosciri
posse: hoc ut perficiatur, non nisi unicam

in illis sententiam semper et quaerendam esse et inveniri posse (¹). Hanc in rem ipsius Iustiniani utuntur auctoritate (*const. Tanta* §. 15.): *Contrarium autem aliquid in hoc Codice* (i. e. in Digestis) *positum nullum sibi locum vendicabit, nec invenitur, si quis subtili animo diversitatis rationes excutiet, sed est aliquid novum inventum, vel occulte positum, quod dissonantiae querelam dissolvit, et aliam naturam inducit discordiae fines effugientem.* Evidem hoc facile concedo, esse quam plurima Romanorum ICtorum fragmenta, quae, inserta Digestis et vel singula deinceps mutata vel coniuncta inter se, in novam plane sententiam abierunt. Atque hoc ipsum illis Iustiniani verbis: *novum inventum, vel occulte positum* contineri censeo, quae quidem tantum abest ut admittant probentque illorum legibus explicandis aliena inferentium rationem, ut, cum hoc agamus, in ipsis legibus potius subsistere nos iubent. Quid igitur faciendum erit, ubi

(¹) Haec est sententia *Fines tres* (§. 14. 21.) et *Averanii* (Interpr. lib. 3. C. 14. §. 11.)

nova illa inventa vel occulte posita fru-
stra quaesiverimus? de quo cum Iusti-
nianus nihil statuerit, nihil nobis restat,
nisi ut e pluribus fragmentis, quorum
manifesta est pugna, novissimum quod-
que, quippe ab ipsius Iustiniani aetate
minus distans et remotum eligamus ip-
sumque sequamur. At nobis ne his qui-
dem rationibus hac in re uti placet. Illis
enim Hermogeniani verbis: *post magnas
varietates obtinuit id ipsum occulte positi-
tum esse arbitror, quo unica atque sim-
plex evadat Iustineanei corporis senten-
tia.* Quaecunque igitur huic senten-
tiae contraria in Digestis leguntur, hoc
confilio recepta mihi videntur, primo
ut, quod in hoc corpore adsolet, huius
quoque rei superesset posteris memoria:
deinde, quo melius ea quibus verior sen-
tentia contineretur fragmenta, quae
quidem ipsam controversiam saepe re-
spiciunt, intelligerentur: denique ut ex
hac quoque re appareret, quanta fuisse
veterum discordia, quantusque ei so-
piendae labor esset impendendus.

E

§. 13.

II. Iam de *privatis delictis cum publicis criminibus* in eodem facto concurren-
tibus acturus, nihil invenio, quo con-
iuncta utriusque poenae exactio impedi-
ri possit, nisi solennem illam iuris for-
mulam: *in iudicio privato prae-
iudicium ne fiat publico.* Eius
enim hunc esse sensum statuunt: cum
duplex unius facti poena esse non possit,
reum alterutra affectum altera liberari;
sed publice interesse ut publicam solvat
poenam, itaque privatum poenale iudici-
um, ne publico instituendo obfit, aut omni-
no esse denegandum, aut exceptione eli-
endum. Itaque omnium primum, quo ad
ipsam rem explicandam via aperiatur,
quid sit *praeiudicium*, quid *praeiudicare*,
accuratius exponendum esse appetet.

Evidem *praeiudicium* eam esse
rem statuo, qua futuri iudicii forendi
signum quoddam contineatur, ipsumque
iudicium quasi *praeoccupetur*. Is igitur
futurae caussae *praeiudicasse* dicendus
est, qui aliud agendo de ea quidquam

constituerit. Ex quo quidem illud statim intelligitur, posse aliquem cum fibi tum aliis, cum sententiae a iudice ferendae ⁽¹⁾ tum alii cuiusvis generis rei

⁽¹⁾ Cui quidem principi in iurisprudentia praetorijudicij significationi et explicandae et probandae duo in primis inserviunt loca, alter Asconius, Quintilianus alter. Asconius, in Ciceronis divisione. cap. 4. Praetorijudicium dicitur res, quae, cum statuta fuerit, afferit iudicaturis exemplum, quod sequantur. — QUINCTIL. Institutio. L. 5. C. 2. Iam praetorijudiciorum vis omnis tribus in generibus versatur: (1) rebus, quae aliquando ex paribus causis sunt iudicatae, quae exempla rectius dicuntur: ut de rescissis patrum testamentis, vel contra filios confirmatis: (2) Iudiciis ad ipsam causam pertinientibus, unde etiam nomen ductum est, qualia in Oppianicum facta dicuntur (Cicero pro Cluentio C. 22) et a senatu adversus Milonem (Cicero pro Milone C. 5): aut (3) cum de eadem causa pronunciatum est, ut in reis deportatis et assertione secunda, et partibus centumviralium, quae in duas hastas divisae sunt. Nonnulla quae ad hunc Quintilianum locum illustrandum pertinent, in sequ. §. invenies.

decernendae (2) praeiudicium facere. Quam vim in his vocibus inesse cum nemo neget, hoc tamen sibi dari volunt omnes, iisdem vocibus alia significari plurima, quare in his recensendis iudicandisque iam nostra versabitur disputatio.

I. Primum de iis locis videamus, quibus *praeiudicium alicui, aut iuri cui-*

(2) et hac quidem ratione tum a Ictis tum ab aliis scriptoribus adhiberi solet. Ita CAESAR B. C., L. 2. C. 32. Pompeius nullo proelio pulsus, vestri facti praeiudicio demotus, Italia excepsit, et eodem Cap.: an Africi belli praeiudicia sequimini? et LIVIUS Lib. 42. C. 61.: Praeiudicatum eventum belli habetis, et TACITUS de mor. Germ. Cap. 10. Victoria huius vel illius pro praeiudicio accipitur. Quorum quidem locorum hic esse sensus videtur, fortunam de belli eventu praeiudicasse, i. e. proelio aliove facto quodam declarasse, quinam futurus esset totius belli eventus. Icti iis potissimum locis hoc sensu praeiudicium accipiunt, ubi de praeiudicio quod quis sibi aliive facit loquuntur, qua de re mox explicatus erit agendum.

dam facere pro nocere, praeiudicium igitur pro damno, dispendio, iactura recte dici ad unum omnes probare posse sibi videntur. (3) *Quae quidem loca cum satis inter se convenient, pauca, ex quibus universa ista ratio perspiciatur, explicata sufficient.* Ita ULPIANUS (4):
. . . si maritus uxore denuntiante custodes miserit, nullum praeiudicium sibi facit, i. e. nihil agit, quo minus liberum ipsi restet iudicium, utrum agnoscat partum, an neget. *Licebit igitur ei partum editum ex se negare.* Et idem alio loco ULPIANUS (5): *Si inter magistratus hoc convenierit, ut alterius tantum periculo tutores darentur: conventiones pupillo non pree-*

(3) Locupletissimum eiusmodi locorum indicem exhibet BRISSONIUS de V. S., v. *praeiudicare et praeiudicium*, cui tamen haec addenda videntur: L. 1. §. 10. 11. 15. de agn. vel al. lib. L. 1. §. 9. de magistr. conven. Paulus v. 1. L. 27. C. Th. de petition.

(4) L. 1. §. 11. de agn. vel al. lib.

(5) L. 1. §. 9. de magistr. conven.

iudicare, i. e. iudicium pupilli non praec-
occupare, non obesse, quo minus integra
fit pupilli electio. Et MACER (⁽⁶⁾): *Saepe*
constitutum est, res inter alios iudicatas alii
non praeiudicare, i. e. sententiam iudicis
in alia causa de eo ferendam non praec-
occupare. Et ita omnia huius generis
loca explicanda esse censeo, ut ad futu-
ram iudicis sententiam alias personae
iudicium arbitriumque illarum vocum
usus referatur. Quod cum iam ea,
quam supra tradidi, praeiudicij signifi-
catione contineatur, nihil in his ineſt
locis, quod novam et ab illa diversam
admittere iubeat: alia hanc in reni
proferenda effent loca, quibus aut fur
domino *praeiudicare*, aut incendio, nau-
fragio vel animantis morte *praeiudicium*
contineri diceretur.

2. Iam vero qui hoc statuant, *prae-
iudicium pro priori iudicio, praeiudicare*
pro prius iudicare passim accipi, veram

(⁽⁶⁾) L. 63. *de re iudicata.*

propriamque harum vocum vim atque originem haud satis perspexisse videntur. Ita ubi hereditatis petitione praet iudicium fit liberali caussae, non in eo huius rei posita est ratio, quod ante liberali caussam de hereditate iudicetur, sed quod hereditatis caussae evenitu simul de libertate iudicium ita continetur, ut ante peculiarem libertatis tractationem de ea quodammodo iudicatum sit. Ex quo patet, non quod ante aliam caussam peragatur huic *praeiudicari*, sed quo fiat, ut posterioris caussae exitus praeoccupetur, i. e. ante ipsam tractationem manifestetur, id demum eius caussae *praeiudicium* recte vocari.

Atque haec interpretatio IACOBO quoque RAEVARDO fraudi fuit, qua semel implicitum atque impeditum explicandae expediendaeque huic rationi (quam sibi peculiariter tractandam sum-

ferat) (⁷) imparem fuisse, nemo prorsus mirabitur. Etenim praeiudicium pro causa prius iudicanda accipiens (⁸) hereditati v. c. praeiudicare idem esse ait ac de hereditate prius iudicare, praeiudiciumque tam ex actione quam exceptione oriri posse, prout actor aut reus praeiudicium redi, i. e. de alia causa prius iudicari, postulasset. (⁹) Quae ipsa quam falsa sint infra docebitur: huius loci erat tantummodo videre, quomodo ex falsa illa praeiudicij notione haec posteriora penderent et quodnam esset illud vinculum, quo ista omnia inter se continerentur.

3. Una restat *praeiudicij* significatio, non tam diversa ab ea, quam supra pro-

(⁷) eius de *praeiudiciis* libri duo primum prodierunt a. 1565. postea cum reliquis eius opposiepius repetiti sunt.

(⁸) l. c., L. 1. C. 1.

(⁹) l. c. L. 1. C. 1. 3., L. 2. C. 1.

didi, quam ex ea orta ac formata. Prae-iudicium enim et praeiudicialis actio ea in iure dicitur actio, qua quis de suo statu i. e. de ea conditione qua adversus omnes utatur, quidquam decerni postulat. Neque huius rei ratio perspici poterit, nisi ex antiquo iudiciorum apud Romanos ordine repetatur. Etenim cum ex *obligationum* iure nascerentur *actiones*, hae erant veri solique, si *vindicationes*, quibus res petebantur, mittas, iurium persequendorum modi, i. e. vera atque sola *iudicia*. Obligationes autem cum magna ex parte a statu personae cuiusdam, i. e. ab eius libertate, origine, rel. penderent, alia comparanda erant iudicia, quae illis viam munirent i. e. praeiudicarent. Haec igitur vocata sunt praeiudicia, seu (cum *actionis* vox latius postea pateret) (1^o) praeiudiciales actio-

(1^o) quo quidem diverso huius vocabuli usu factum est, ut ab eodem scriptore praeiudicia nunc actionibus accenserentur, nunc ab iis separarentur, cf. L. 35. §. 2. de *procur.* et L. 37. pr. de *O.* et *A.*

nes, non quasi praeiudicare idem esset ac prius iudicare, neque quia certo semper iudicio iis esset praeiudicandum, sed quod totum hoc actionum genus aliarum maxime actionum eventis prae- parandis (etenim ipsae *condemnationem* non continere recte a THEOPHILO dicun- tur) inserviret. (¹¹)

Verum in his quoque in alia omnia abit Raevardus (¹²), qui ob id ipsum Accursum Bartolumque paullo seve- rius tractat, ita docens: Praeiudicia nullas prius tractandas non voca- ri caussas, neque liberalia aliaque quae

(¹¹) Loca, quibus de huiusmodi praeiudiciis agitur, praecipua sunt haec: §. 13. *I. de acti.* L. 8. §. 1. *de in ius voc.*, L. 35. §. 2. *de pro-*
curred., L. 1. §. 2. *de R. V.*, L. 18. *pr. de pro-*
bat., L. 3. §. 2. §. L. 5. §. 18. *de agn. vel*
al. lib., L. 37. *pr. de O. et A.*, L. 6. *si in-*
genuus, L. 30. *de rebns auct. iud. poss.*, L. 12.
de exceptt., L. 9. *C. de patria potestate*, L. 19.
C. Tb. de episcopis.

(¹²) *I. c. L. 1. C. 12.*

statum concernant iudicia ita recte vocari, nisi ad aliam quandam, cui praeparandae inserviant, referri possint caussam.

Cuius sententiae priorem partem, quae ad praeiudicia generatim definienda pertinet, iam supra (Num. 2.) reiiciendam esse monstravi: restat ut doceam, peculiarem hanc esse eorum, quae hominis cuiusdam conditionem spectent, iudiciorum signationem, etiamsi nulla alia forte caussa iis praeparetur. Etenim **IUSTINIANUS** (¹³), hacce circumscriptione neglecta, *Praeiudicale actiones*, ait, *in rem esse videntur* (i. e. similitudinem aliquam habent cum realibus actionibus, cum non ad certam personam obligatam earum restrictus sit usus): *quales sunt, per quas quaeritur, an aliquis liber an libertus sit, vel de partu agnoscendo.* Et evidentius aliquanto **ULPIANUS** (¹⁴): „Solent iudices cognoscere inter patro-

(¹³) §. 13. *I. de actr.*

(¹⁴) *L. 5. §. 18. de agn. l. al. lib.*

„nos et libertos, si alendis his agatur:
 „itaque si negent, se esse libertos, cogno-
 „scere eos oportebit: quod si libertos
 „constiterit, tunc demum decernere, ut
 „alant. *Nec tamen alimentum decretum*
 „*tollet liberto facultatem, quo minus pree-*
 „*iudicio certare possit, si libertum se neget.*“
 Idemque Ictus alio similiter loco (¹⁵):
 „Quotiens de hoc contenditur, an quis
 „libertus sit: five operaे petantur, five
 „obsequium desideretur, five etiam fa-
 „mosa actio intendatur, five in ius vo-
 „cetur, qui se patronum dicit, five nulla
 „cauſſa interveniat, redditur preeiudicium.“

Sed missa hac preeiudicii significa-
 tione ad priorem eamque principem re-
 vertor: quae quidem ex ea parte ad
 nostram disputationem pertinet, qua *iudi-*
ciale preeiudicium contineri dixerim.
 Itaque non nisi de sententia iudicis, qua

(¹⁵) L. 6. *si ingenuus*, quam legem ut suae
sententiae conciliet Raevardus, satis contorta
utitur interpretatione, l. c. L. 2. C. 4.

futura quaedam sententia praecuppe-
tur, tractandum esse patet.

§. 14.

Iam primum videamus, quibus mo-
dis iudiciale praeiudicium fieri possit.
Cuius mihi duplex videtur ratio, prout
vel eadem vel alia caussa tractanda rei
futurae praeiudicetur. Priori rationi,
qua quidem *tertium* apud Quintilianum
continetur praeiudiciorum genus (¹),
id plerumque obesse apparet, quod res
iudicata, quippe quae novum quoddam
ius constituat, repetitam eiusdem cauf-
sae tractationem impeditat. Huiusmodi
igitur praeiudicium fieri nequit, nisi
ea sententia, cui nunquam accedere
potest rei iudicatae auctoritas (²),

(¹) Cf. §. 13. not. I.

(²) quo quidem priora referto QUINTILIANI
hanc in rem exempla: *ut in reis deportatis,*
et assertione secunda. — „*ut in reis depor-*
tatis“: ad hacc verba TURNEBUS Ulpianum
ait testari, de caussa deportandorum iterum

vel quae ob provocationem factam

apud iudicem posse agi. Cum autem et ipse Ulpianus (*L. 1. §. 27. de quaest.*, *L. 9. §. 11. de poenis*) et alii tum Icti tum Imp. (*L. 45. §. 1. de re iud.*, *L. 27. pr. de poenis*, *L. 1. C. sent. rescindi non posse*, *L. 15. C. de poenis*) sententiam, quae aliquem damnasset, a iudice mutari posse negent; et a solo principe restituendos esse damnatos constituant, neutiquam Turnebi admittenda est explicatio. Evidem „reos deportatos“ non eos Quintilianum dixisse arbitror, quorum iam facta esset deportatio, sed de quorum deportatione agetur. Iam autem ipsa deportatio ita procedebat, ut, qui iudex deportatione dignum putaret reum, postquam de crimen cognovisset, ad principem ea de re referret, suamque sententiam subiiceret: atque haec est ea sententia, quae licet ipsa verae vim sententiae nunquam posset adipisci, (soli enim praefecto Urbis deportandi concessa fuit potestas, eique primus Severus Imp. hoc dedisse videtur) principis tamen sententiae praeiudicabat, i. e. exemplo praeibat, quod princeps sequeretur. Quae de deportatione facienda dixi, duobus Ulpiani locis firmantur: *L. 2. §. 1. de poenis* et *L. 6. §. 1. de interdictis*. — . et affer-

in rem iudicatam nondum abierit (³);

tione secunda“, i. e. assertione in libertatem repetita: etenim assertio in servitutem contra sententiam de libertate latam fieri non poterat (*L. 25. de statu hom.*), nisi facta esset collusio (*tit. ff. et Cod. de collus. deteg.*): in libertatem autem repetita vice aliquem vindicari licet, donec hanc quoque reliquis caussam Iustinianus aequaret (*tit. Cod. de adfervione tollenda*). Minus recte tertiae, quartae, quintaevi ius relationis, de quo apud historiae Aug. scriptores hoc refert Broidaeus (in *Politi hist. fori Rom. Lib. 3. C. 15. not. 4*): hocce enim ius neque cum Broidaeo de liberalibus caussis acceperim, neque cum Caelio Rhodigino (*antiqu. lect. L. 22. C. 10*) et Egatio (in notis ad *Capitolini Pertinacem*) de rebus iudicatis, quaecunque essent, rescindendis intellexerim, neque cum Alciato (*Parerg. L. 10. C. 22*) ad aliud quoddam iudiciale ius retulerim: intelligendum potius esse de pluribus rebus eodem die in Senatu propoundendis, cum non nisi unica relatio Augusto data esset (*Dio Cass. lib. 53. in f., ed. Reimarus. V. 1. p. 727*) egregie monstravit *Casaubonus ad Sueronii Iul. Caesarem Cap. 20*.

(³) hoc postremum spectat **QUINTILIANI ex-**

Equidem in alterius generis praeiudiciis, quae sententiis de aliis caussis prolatis inferuntur, explicandis subsisto. Eiusmodi praeiudicio vel generalis quaedam iuris regula agnoscitur atque confirmatur in futuris caussis iudicii sequenda, (quod *primum* est apud Quintilianum praeiudiciorum genus, eorum, „quae exempla rectius dicuntur“) vel de certa quadam caussa futura, cui proprium illud est praeiudicium, aliquid statuitur atque praeoccupatur (4): et hoc est illud praeiudiciorum genus (*alterum* e tribus illis, quae Quintilianus recenset) cuius circumscribendi cura a legibus habita ad rem nostram pertinet.

Cavendum enim visum est legibus, ne qui de aliqua caussa indicaret praeiu-

emplum: *et partibus centumviralium, quae in duas hastas divisae sunt. A centumvirali enim sententia ad alios rursus centumviro provocare licuit, cf. Siccama de iud. centumv. L. 1. C. 13. et Witellius in Merulam C. 21. (Gruteri lampas, T. 1. p. 615).*

(4) *L. 21. de exceptis.*

dicium ficeret rei maiori. ⁽⁵⁾ Quemadmodum autem duplex erat rerum maiorum genus, ita duplex quoque huius regulae fuisse videtur vis atque potestas. In primis enim quae ad aliam eamque vel maiorem vel privilegio quodam concessam iurisdictionem spectarent caussae pro maioribus habitae sunt rebus ⁽⁶⁾ sive maioris sive minoris momenti essent ipsae res, quae peterentur. Ita factum est, ut his causis ne ulla alia re tractanda praeiudicaretur, leges prohiberent: *fiscalibus* ⁽⁷⁾, quippe quae ad Procuratorum seu Rationalium cognitionem pertinerent ⁽⁸⁾, hereditariis ⁽⁹⁾, non nisi aut a praefidi-

⁽⁵⁾ L. 54. de iudiciis: per minorēm caussām maiori cognitioni praeiudicium fieri non oportet.

⁽⁶⁾ Raevardus l. c., L. 2. C. 7.

⁽⁷⁾ L. 35. de iure fisci.

⁽⁸⁾ L. 9. pr. de off. procons., L. 1. 2. 5. C. ubi caussae fiscales.

⁽⁹⁾ de praeiudicio hereditati non faciendo haec inspiciendae sunt leges. L. 5. §. 2. L. 7. pr. §. 1. L. 25. §. 17. de her. perit., L. 32. §. 10.

bus (10), aut in Centumvirali iudicio tractandis, *criminalibus* denique, quibus publica dicata essent iudicia, et ob quas universa haec instituta est de praeiudi- ciis disputatio. At ubi eadem esset utriusque caussae iurisdictio, ex ipsa re, de qua ageretur, constituendum erat iudi- ci, utrum aequales essent, an alteram altera superaret. Ita et iis caussis, quibus de *statu* quaeritur, vetitum erat praeiudicari: (11) et *existimationis* cauf- fa reliquis maior habebatur: (12) et ei rei, cuius aut *pars* aut *accessio* quae- dam petita esset, praeiudicium fieri non debebat: (13) sed si non nisi summam

de receptis, L. 1. §. 1. *famil. herc.*, L. 13. *de exceptt.*, L. 5. C. *de hered. actt.* L. 12. C. *de petit. hered.*

(10) *Noodt de iurisd.* L. 1. C. 9.

(11) L. 4. §. 1. *ne de statu defunct.*, L. 1. §. 1. *ead.*, L. 3. §. 8. II. *de Carbon. ed.*, L. 24. §. 3. 4. *de lib. cauffa.*

(12) L. 104. *de R. I.*

(13) L. 16. 18. *de exceptt.*, a quibus separandam esse L. 17. *ead.*, quippe non de praeiudicio sed

imparem haberent plura iudicia, pro paribus accipienda videbantur (¹⁴).

Hae igitur sunt res illae maiores, quibus ex Romanorum Ictorum sententia praeiudicari non licebat: quae tamen regula, nisi certis finibus circumscribatur, recte intelligi non poterit. Etenim hoc statuo, esse naturalem quendam iudiciorum inter se componendorum nexus atque ordinem, quo servato a. lii aliud inserviat, neque praepostera quidquam ratione admittatur. Eum ordinem qui sequitur, nihil agit, quod regulae illi aduersetur, sive maior sit sive minor sive aequalis caussa post aliam tractanda: quo ipso factum esse censeo, ut

de rei iudicatae exceptione agentem, egregie docuit Cujacius ad L. 16. cit. (*ad African.* 9) et ad L. 18. eod. (*ad lib. 70 Pauli ad ed.*, in *Opp. T. 5.* p. 821).

(¹⁴) verba sunt *Legis 104. de R. I.*, cuius tamen regulae exceptio constituta est *Lege 4. de in integrum restitut.*

ubi de coercendis praeiudiciis Icti age-
rent, hocce praeiudiciorum genus,
omnino negligerent. Paucis exemplis
omnem rem expediam. Mortuo Caio,
Titius, qui filius Caii creditur, heredi-
tatem possidet: iam Sempronius Caii
agnatus eam petens Titium filium esse
negat, simulque in servitutem asserit: he-
reditatis petitio maximam partem a Titii
statu pendet, cuius caussa proditum est
liberale iudicium. Naturali igitur ra-
tione servata liberale iudicium prius
tractabitur, quo via muniatur heredi-
tatis petitioni tractandae: quod quam-
quam verum contineat praeiudicium,
illi tamen regulae neutiquam contrari-
um censendum est. Aliud exemplum
addam: ubi is, cui publica imminet
accusatio, in servitutem petitur, facile
perspicitur, cum aliae plerumque sint
liberorum, aiiae servorum poenae,
praeiudicium fieri publico iudicio. Sed
cum liberalis caussa ob id ipsum insti-
tuta sit, ut, utrum servus an liber aliquis
sit, certum inde nascatur iudicium, quod

in omnibus aliis caussis atque negotiis sequamur, nihil est, quod hac in re iure meritoque reprehendatur. (15) Itaque ut locus esse possit ei, quam supra proposui, regulae, talem esse oportet utriusque iudicij rationem, ut aut neutrum ita institutum dici possit, ut alterum eo praeparetur, aut praepostero ordine exerceantur. Ita, ut prius magis elucescat, ubi iniuriarum actione publico, quod deficariis est, iudicio praeiudicatur, utroque iudicio aequa tractari potest caussa, neque ut altero quidquam praeparetur opus est: nullus inter ea eiusmodi nexus, nulla coniunctio: prior igitur iniuria tractatio, cum maiori rei praeiudicet, illi omnino regulae contraria est. E contrario, si de testamento quo-

(15) Hunc naturalem iudiciorum ordinem cum spectent tituli Codicis *de ordine iudiciorum*, et *de ordine cognitionum*, nulla in iis praeiudiciorum inhibendorum deprehenditur cura, sive maior sit altera caussa, sive alteri aequalis.

dam dubitetur et ex eo libertas petatur, naturalis quaedam intercedit caussarum cognatio, atque duplex fieri potest praeiudicium. Itaque si de libertate prius agitur, quam testamenti caussa finita est, maiori caussae praeiudicatur: quod cum praepostero fiat causarum ordine, non potest illi regulae non esse adversum.

§. 15.

In eo hactenus versatus sum, ut quae esset praeiudiciorum coercendorum ratio, generatim exponerem: iam quibus modis de iis, quae publico cuidam iudicio fiant, praeiudiciis caveri possit, diligentius explicandum mihi proposui.

Etenim de eo quidem dubitandum non est, iudici, cui criminis data fuerit quaestio, ipsam potius rem, quae admisfa fuerit, quam aliorum sententiam de ea prolatam esse inspiciendam. Itaque

qui probi iudicis satisfecerit officio, neglectis huiusmodi praeiudiciis,⁽¹⁾ quod ipse senserit, pronuntiabit: et quodcunque tandem eam in rem proditum fuerit exemplum, pro non prodito habebit. ⁽²⁾ At haec praeiudiciorum a publicis iudiciis arcendorum ratio, quam solam in recentioris aëvi legibus inveniri infra docebo, haud satis certa tutaque visa est priorum temporum iuris conditoribus⁽³⁾. Itaque ipsi, qui de

(1) Ab iis enim praeiudiciis, quae ex naturali illa, de qua dixi, causarum serie nascuntur, ne licet quidem recedere.

(2) Apposite ad hoc argumentum CICERO^o (*pro Cuent.* Cap. 2.), ne quid praeiudicati assertent iudices postulans, *non modo auctoritatem*, ait, *sed etiam nomen iudicum amitterimus, nisi hic ex ipsis causis iudicabimus, ac si ad causas iudicia iam facta domo deferemus.* Sic etiam QUINTILIANUS (*inst. or. L. 5. C. 2.*). *Rogandi etiam, inquit, iudices, ut rem potius intrueantur ipsam, quam iuriurando alieno sum donent.*

(3) CICERO in *orat. pro Cuent.*, cum, quid fieri deberet, indicasset (l. c. not. 2.), solere,

crimine iudicaret, iudici haud satis consenserit, id potius, ne ullo ei praeciretur exemplo, sibi sumserunt cavendum. Quo factum est, ut, quaecunque civilis actione praeiudicium facere posset iudicio publico, ea omnino deneganda aliis, aliis exceptione tantum circumscrībenda videatur, nisi vel sola sententiae dilatione fieri posset, ut de crimine prius iudicaretur. Cum enim iam in iudicium deducta esset criminis quaestio aliave major quaedam causa, is, qui de minori causa iudicabat, sententiam procrastinando, ab omni praeiudicio ita poterat abstinere, ut ne exceptione quidem opus esset, (4) Iam qui praeterea fuerit aut

ait, iudices in iudicando, ne ab aliorum iudicis discrepant, provideat (pro Cluent. C. 22). Cuius rei rationem exhibet QUINTILIANUS (inst. or. L. 5. C. 2): *Vult enim, inquit, cognoscentium quisque firmam esse alterius sententiam; et ipse pronuntiaturus exemplum non libenter, quod in se fortasse recidat, facit.*

(4) L. 13. de exceptt, quam cum recte ita ex-

actionis denegandae aut exceptionis ad*iiciendae* modus atque ratio, ita docebo, ut iis ipsis utar exemplis, quae in*iure nostro* occurruunt.

Ita servo alieno occiso et ex lege Cornelia de sicariis accusationem et*in*juriarum** actionem, et actionem legis Aquiliae nasci apparet: **ULPIANVS**, cum de iis exercendis consuleretur, *in*juriarum** actionem, quippe qua de eo-

plicasset **CUIACIUS**, aliam tamen praetulit interpretationem (*Obs. IX. 27. et ad African. 9, in L. 16 eod.*) iam glossae probatam *eamque* incrito reprehensam a **NOODTIO** (*ad ff. V. 3., in opp. T. 2. p. 186.*) qui et ipse nihil egit, nisi ut male textum corrigeret. Verior enim Cuiacii explicatio, quam cur ipse reliquerit nescio, egregie firmatur hisce textibus: *L. 24. §. 3. 4. de liber. caussa* et *L. 32. §. 10. de receptis*. Neque obstat *Legi 13. cit.* aut *L. 16. eod.*, quippe quae de controversia in*iudicium nondum deducta intelligenda est* aut *L. 7. §. 1. de her. petit.*, qua non nisi de dolo coercendo agi subiecta exempla docent.

dem facto ac in publico iudicio quaere-
retur, denegandam esse, Aquiliam, cum
vel ex sola culpa nasceretur, exerceri
posse his verbis respondit (⁵): *Si dica-
tur homo iniuria occisus, nunquid non de-
beat permittere Praetor, privato iudicio
Legi Corneliae praeiudicari? . . . Rectius
igitur fecerit, si huiusmodi actionem non
dederit. Atquin solemus dicere, ex quibus
caussis publica sunt iudicia, ex his caussis
non esse nos prohibendos, quo minus et pri-
vato agamus.* *Est hoc verum: sed ubi*
non principaliter de ea re agitur, quae
habet publicam executionem (i. e. de eo
facto, de quo in publico etiam iudicio
quaeritur, quia qui aliud forte factum
quoddam admissum esse in privato iudi-
cio pronuntiaverit, iudicio publi-
co nullum fecerit praeiudicium).
Quid ergo de Lege Aquilia dicemus? nam
et ea actio principaliter hoc (i. e. eiusmodi
aliquid, quod non habet publicam exe-
cutionem: de eo enim modo locutus
erat Ulpianus) *continet: hominem occi-*

(⁵) L. 7. §. 1. de iniuriis.

sum non principaliter. Nam ibi principa-
liter de damno agitur, quod domino datum
est; damnum hic ut quamplurimis aliis
locis pro damno iniuria dato positum
est, i. e. certo quodam delicto, quod
sola culpa committi potest) at in actione
iniuriarum de ipsa caede, vel veneno, ut
vindicetur, non ut damnum sarcatur (i. e.
iniuriarum actione de eo ipso facto agi-
tur, quod Cornelia quoque lege vindicatur,
de occidente sc. dolo admissa, non
ut in lege Aquilia de damno, i. e. de
delicto, quod alio quodam facto conti-
netur).

Porro autem appareat, ne denegata
 quidem actione in hunc finem opus
 fuisse, cum vel sola exceptione adiecta
 de praeiudiciis caveri posset. Quae
 quidem res, ubi non idem omnino est
 factum, ex quo et privata actio et publi-
 ca criminis quaestio oriantur, omni
 dubio caret. Itaque cum legis Aquiliae
 actio cum publico Corneliae legis cri-
 mine concurreret, **ULRIANUS** exceptio-

nem addendam esse civili actioni prius institutae respondit (6), idemque tunc faciendum esse censuit, cum interdictum de tabulis exhibendis cum legis Corneliae testamentariae crimine in idem factum incideret (7) Sed etiam si idem

(6) *L. 23. §. 9. ad L. Aqu.* *Si dolo servus occisus sit. et lege Cornelia agere dominum posse constat: et, si lege Aquilia egerit, praeciudicium fieri Corneliae non debet, i. e. exceptione adiecta cavendum est, ne praeciudicium fiat.* Cui neutiquam adversatur *L. 7. §. 1. de iniur.* quam modo explicavi: haec enim id solum statuit, denegandam non esse Aquiliae actionem, quod ipsum cum *L. 23. cit.* optime convenient.

(7) *L. 3. §. 6. de tabulis exhibendis, verbis:* *Nec praeciudicatur aliquid legi Corneliae, quasi dolo malo suppresserit* (i. e. non necesse est aliquid praeciudicari, quod igitur ne fiat exceptione erit prospiciendum) *et posse aliquem dolo malo facere* (i. e. interdicto teneri) *ut in eam legem non incidat: ut pura rel.*, interiecta enim verba, cum et his ipsis et universo huic iuris argumento quodammodo contraria sint, non nisi ad id adiecta

fit factum utriusque iudicio commune
 (quam ob caussam actionem denegandam visam esse Ulpiano docui) satis erit,
 si exceptio addita fuerit actioni: sunt enim certae caussae a legibus constitutae, quibus actiones cum publicae tum privatae excludantur, v. c. temporum praescriptiones, transactiones, abolitiones rel.: quae cum alterutri saepe propriae sint iudicio, etiam de hisce privatis actionibus ita saepe iudicari posse patet, ut publico iudicio praeiudicium non fiat. Et ita PAULUM quoque intelligendum esse arbitror,⁽⁸⁾ qui cum eum in legem Iuliam de vi incidere dixisset,

dixerim, ut, quod ea de re Ulpianus sentiret, magis adhuc firmaretur atque stabiliretur, quare in vera huius iuris ratione exponenda merito videntur negligenda. Eodem modo furti actioni, de qua in L. 14. §. 1. *de praescr. verb.* (cf. §. sequ.) adiiciendam esse exceptionem respondisset, si modo ea de re esset quaesitum.

⁽⁸⁾ L. 4. §. 1. *ad L. Iul. de vi priv.*, cf. CUIACII Obff. L. 24. C. 16.

qui quaestione de alterius servo habuisset, haecce addit verba: *et ideo moderatius edicto Praetoris de iniuriis utendum esse, Labeo ait.* Cum enim ex eodem facto et honoraria iniuriarum actio ⁽⁹⁾ et publica legis Iuliae accusatio nata esset, moderatiore privati iudicii opus esse usu ait, i. e. circumscriptiore, qualis fit exceptione actioni adiecta. At nulla res est, qua universum hoc, quod de exceptione praeiudiciali est, argumentum magis illustretur, quam causa aliqua a CICERONE efficta atque in examen vocata ⁽¹⁰⁾, quare iam ad explicandum hunc locum me accingam: *Cum ad vim faciendam quidam armati venissent, armati contra praefato fuerunt, et cuidam equiti Romano quidam ex armatis resistenti, gladio manum*

⁽⁹⁾ *L. 15. §. 34. de iniuriis.*

⁽¹⁰⁾ *de inventione L. 2. C. 20. pag. 418. editio-
nis, quam secutus sum, Burmanniana, cuius
loci interpretationem improspero tentavit
eventu P. Nannius in miscellan. L. 9. C. 6.
(in Gruteri lamp. T. 1. p. 1356).*

præcedit. Agit is, cui manus præcisa est, iniuriarum, i. e. Praetoria utitur ad privatam poenam petendam actione, qua de re infra pluribus dicam. Postulat is, quicum agitur, a Praetore exceptionem: extra quam in reum Capitis præiudicium fiat. Et haec quidem verba, eam esse huiusmodi exceptionis vim ac potestatem, apprime docent, ut si sine exemplo in publicum iudicium proditoris fieri possit, iudex condemnnet, alioquin a iudicando abstineat: (II) „nisi in

(II) RAEVARDUS aut personale aut reale esse ait præiudicium, prout aut de iudicio publico aut de alia quadam caussa quæratur. Et in personali quidem fatetur, nihil ista agi exceptione, nisi ut sententia, quae præiudicium contineret, impeditur (l. c. L. 2. C. 9), at in reali eam esse huius exceptionis vim contendit, ut de maiori caussa ab eodem iudice statim pronuntietur, deinde minor quoque absolvatur l. c. L. 1. C. 11. Itaque reum conqueri ait, quod præiudicium hereditati non fiat, quasi dicat: aio præiudicium hereditati fieri debere, i. e. prius de hereditate de-

reum Capitis praeiudicium fiat“ sc. iudex condemnabit: „capitis praeiudicium“ i. e. praeiudicium, quod capitali caussae fit, etenim non ita verba esse coniungenda „in reum capitinis“ ex eo apparet, quod nullus adhuc capitinis reus esset. *Hic is, qui agit, iudicium purum postulat.* *Ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere. Quaeſtio eſt, excipiendum fit, an non.* Itaque ne petebat quidem reus, ut, quod Ulpiano in eiusdem generis cauſa probatum fuiffe docui, ipsa potius actio denegaretur. *Ratio, Non enim oportet, in recuperatorio iudicio, eius maleſicīi, de quo inter ſicarios quaeritur, praeiudicium fieri.* Quodnam est hoc

bere iudicari. In reali igitur praeiudicio tantum abesse, ut iſta exceptione ſententia quaedam impediatur, ut alia potius ferenda accedat. Quae quidem omnia etiamſi et verac praeiudicii notioni et diversae hereditiarum aliarumne cauſarum iurisdictioni optime poſſent conciliari vel folā *L. I. §. I. fam. hercisc.*, peſſima fide a Raevardo deſcripta *l. c. L. I. C. II.*) refutarentur,

publicum de quo quaeritur iudicium? an de iniuriis ex lege Cornelia? quod quamquam illis verbis: „de quo inter sicarios“ satis convenit, (12) admittendum tamen non est. Eae enim iniuriae, quae lege Cornelia vindicarentur, ab omni privata actione ante Ulpianum iminunes fuisse (13) atque ipsis eius temporibus ita restitutae esse videntur, ut aut privatam aut publicam actor actionem eligere posset (14). Quod ipsum etiam si Ciceronis aetate in usu fuisse, tamen non video, quare de exceptione adiicienda fuisse quae situm. An, quae vera est eius exceptionis

(12) Cum enim satis probabile sit, ipsam legem Corn. de sicariis potius de iniuriis cavissem, quam peculiarem fuisse de iniuriis legem (cf. cel. HUGO, *Rechtsgeschichte* §. 198) ita explicari ista verba possent: eius maleficii, de quo inter sicarios quaeritur, i. e. quod ea lex tractat, quae sicarios potissimum comprehendit.

(13) L 7. §. 6. de inturiis.

(14) L. 6. de iniur.

auctoritas, ne exemplo praeiretur Capitis iudicio? at capitum iudicium civilis actione instituta evanisset. An, si pro *damno* positum esse *praeiudicium* falso statueris, ne noceretur capitali iudicio, i.e. ne id ipsum consumeretur? (15) O egregium civem, qui ne ipse capitalis iudicij periculo eximeretur, exceptione postulata cavisset! Itaque de ea Corneliae legis parte, qua ea lex ad ipsos sicarios pertinebat, quaerebatur, neque de iniuriarum publico iudicio ulla hoc loco mentio fit. Quod ipsum mirum videri potest, cum omnes iniurias, quae manu siant, lege Cornelia contineri ULPIANUS dicat (16). Statendum igitur apparet, ipsam legem non nisi pulsationem et verberationem spectasse, ceterasque, quae manu fierent, iniurias interpretatione demum legi esse

(15) ita enim explicandus videtur hic locus
CUIACIO ad L. 4. de pub. iud. (in Opp. T. 5.
p. 575).

(16) L. 5. §. 1. de iniuriis.

adiectas. Iam haec sequuntur apud Ciceronem: *Infirmatio rationis*, *Eiusmodi sunt iniuriae*, ut de his indignum sit non primo quoque tempore iudicari. *Iudicatio*, *Atrocitas iniuriarum satisne causae sit*, quare, dum de ea iudicetur, de aliquo maiore maleficio, de quo iudicium comparatum sit, *praeiudicetur*. Quae quidem ultima verba satis docent, universam hanc praeiudiciorum cavendorum rationem, quamquam utilissima ea ac maxime necessaria visa sit Ictis, ex arbitrio tam Praetoris, a quo actio aliqua postularetur, pependisse, neque ulla lege fuisse praescriptam, quod ipsum cum Ictorum Romanorum dictis optime convenit (¹⁷). Itaque mirandum est, apud

(¹⁷) Etenim tum PAULUS interdum, ait, eveneri, ut praeiudicium iudicio publico fiat (*L. 4. de pub. iud.*), i. e. interdum recedi ab ista regula (cf. *L. 2. §. 1. vi bon. rapt.*) quod, ubi lege quadam ea regula constituta fuisset, fieri non potuisset, tum ULPIANUS (*L. 7. §. 1. de iniur.*, supra explicata) non quid debeat

SIGONIUM (¹⁸) locum nostrum, recte ceterum ab eo intellectum, ita descriptum legi: „Cicero in Rheticis: *Lex „est, in iudicio privato praeiudicium ne fiat publico.* Cum ad vim rel.

In alia omnia posterior abiit aetas. Cum enim id maximopere caverent prioris aevi Icti, ne ullum fieret publico iudicio praeiudicium, GRATIANUS Imp. qualemcumque publica inter et privata iudicia tractanda ordinem admittens, (¹⁹) iudicem ipsum, cui criminis quaestio obvenisset, rem ipsam magis quam prodita aliorum iudicia securum credendum esse putavit. (²⁰)

fieri a Praetore, sed quo facto rectius fecerit querit.

(¹⁸) *de iudiciis L. 1. C. 21.*

(¹⁹) *L. un. C. quando civilis actio et L. un. C. Th. victimum civiliter.*

(²⁰) Idem in hereditariis caussis constituit IUSTINIANUS in *L. 12. C. de petit. hered.*

§. 16.

Universa quae de praeiudiciis hactenus fuit disputatio, in hunc finem instituta esse appetet, ut nullum inde duci posse argumentum doceretur, quo minus utraque eiusdem facti poena, tum privata tum publica eaque publico exigenda iudicio, expeti posset. Etenim qualiscunque unquam fuerit praeiudiciorum a publicis iudiciis arcendorum ratio, (quam quidem a recentioribus alienam esse legibus monstravi) non tam ipsum poenarum sumendarum ius, quam solum ordinem iudiciorum eam spectasse appetet: extra quam rem cum nihil sit, quod coniunctae huiusmodi poenarum exactioni officiat, ea etiamsi nullis praeterea niteretur argumentis, satis probanda videretur. At, ut illud argumentum mittam, quod FINESTRESIO (l. c. §. 86) in primis placet, iniquam rem statuere, qui poenalem actionem a quolibet e populo accusatione instituta extingui posse contendat, restant plura iuris loca, quibus utramque a

reo exsolvendam poenam fuisse, rectiore via efficitur.

Ita, ut iis solis utar, quibus res ipsa declaratur, et si nulla accedit rationatio, ULPIANUS furti actione peracta nihil contineri contendit, quo minus lege Cornelia ex eodem facto agi possit (¹): *si servum quis, ait, alienum spoliaverit, isque frigore mortuus sit, de vestimentis quidem furti agi poterit, de servo vero in factum agendum* (ex lege Aquilia enim agi non poterat, cum esset intermedia quaedam damni caussa) *criminali poena* (sc. ex lege Cornelia, cum nihil interficit, occidat quis, an causam mortis praebeat, ⁽²⁾) *adversus eum servata*. Unum idemque erat factum, e quo cum furti delictum tum Corneliae crimen legis fluebat, alteramque poenam exacta altera superesse Ulpianus docet.

(¹) L. 14. §. 1. de praescr. verb.

(²) L. 15. pr. ad L. Corn. de siccari.

Eadem ratione cum Fabiae quoque legis accusatione actionem furti coniungi posse, **GRATIANUS** Imp. ita statuit, ut a nemine unquam negatum fuisse appareat. ⁽³⁾

Porro, quod tradit **MODESTINUS**, ⁽⁴⁾ *is, qui praedam ab hostibus captam* (i. e. rem fiscalem) *subripuit, Lege peculatus tenetur* (i. e. deportatione puniendus est, *L. 3. eod.*) *et in quadruplum* (praeterea) *damnatur*. Recentiori enim tempore in fiscalium rerum furtarum quadrupli constituta est poena ⁽⁵⁾, quam in eiusmodi peculatu, qui in fiscali, non in publica re committeretur, cum deportatione concurrisse patet. Utramque exigi posse

⁽³⁾ *L. un. C. quando civilis actio.*

⁽⁴⁾ *L. 13. ad L. Iul. pecul.*

⁽⁵⁾ cuius solius meminit **PAULUS** (*rec. sent. V. 27.*), quippe recentioris praesertim iuris interpres: alia est sententia **FINESTRESII** (*Hermogen. p. 1043 sq.*), apud quem de propria ista fisco actione plura invenies,

poenam, Modestinus ait, i. e. post quadruplum solutum superesse legis Iuliae accusationem, et deportatum restitutumque in quadruplum conveniri posse.

Tandem **IUSTINIANUS** adulterum coniugem et dote privari et publicae subiici poenae voluit, qua de re aptior infra dicendi locus erit (*cf. not. 13. ad h. §.*).

Attamen duas ius Romanum nobis exhibet caussas, in quibus tum publicum tum privatum poenale iudicium ex eodem facto ita nascerentur, ut altero electo alterum consumeretur: *iniuriarum* causam alteram, alteram *adulterii*, quae, cum ab ista, quam proposui, regula recedant, iam accuratius mihi videntur explicande.

Etenim post iniuriarum poenas, quas XII tabularum lex constituerat usu antiquatas, omnes omnino iniurias praetoria illa iniuriarum actione vindic-

catas esse constat, donec publicum iudicium constitueret L. Corn. Sulla, quo quarundam poenae iniuriarum, non tamen nisi ab eo, cui facta esset iniuria⁽⁶⁾, expeterentur. Et ipsa quidem Cornelia lege privatas huiusmodi iniuriarum poenas sublatas, easque posterioris aetatis aut usu aut Impp. constitutionibus denuo revocatas esse⁽⁷⁾ iam supra monui. Hac autem praetoriae actionis restitutione cum id solum caverent Icti, ut ne minus aliquid in

(⁶) Quod quidem, licet ab ordinario publicorum iudiciorum iure alienum sit, in ipsis legis Corneliae criminibus viguisse aperte declarat ULPIANUS in L. 5. pr. § 4. 6. de injur. famosi libelli, quippe ipsi legi Corn. ex Sc. adiecti, eodem iure usi esse videntur, unde fas tis apparat, cur publicum eorum (quoad formam) iudicium ad privatam causam pertinere et privata (quoad ius agendi) actio esse dicatur. (L. 6. de injur., L. 42. §. 1. de procur.)

(⁷) L. 7. §. 6. L. 37. §. 1. de injur.

gravissimis huiusmodi iniuriis quam in reliquis actori liceret, satis esse putaverunt, si solam alterutrius iudicij electionem iphi tribuerent: quo factum esse ut, utrumvis actor iudicium elegisset, alterum amitteret, obscuriore quodam PAULI loco, mihi iam explicando, (§) declaratur. Praecedente lege cum de ipsius Corneliae legis criminibus ULPIANUS egisset, ad famulos libellos, qui Senatusconsulto demum adiecti videntur legi Corneliae transit, et in iis praemia ei, qui indicasset, publice constituta esse docet. Iam ita Paulus: *Quod sc. necessarium est*, (i. e. ea eius est utilitas, ut saepe necesse sit, eo uti), *cum nomen adiectum non est eius, in quem factum est, tunc ei, quia difficilis probatio est, voluit Senatus publica quaestione rem*

(§) L. 6. de iniur., cui explicando praeter CUIACIUM (Opp. T. 5. p. 753) operam derunt cl. SCHLOSSER in Hugo civil. Magazin B. 1. p. 162. et WEBER über Iniurien Cap. 10. in fin.

vindicari. (An igitur voluit Senatus, ab ipso iudice etiamsi nullus existeret accusator, (ex officio, ut aiunt) in crimen inquire? ⁽⁹⁾ Ista iudicij instituendi forma, nobis quidem recepta, a Romanorum iure quam maxime aliena erat. An accusationem tantum publicam constituit? Publicam eam non fuisse et supra docui (not. 6), et verba nostra („tunc ei . . . voluit . . . vindicari“ i. e. ei iphi, qui iniuriam passus iam accusationem instituisset) optime monstrant. Itaque non de inchoandi iudicij iure, sed de forma eius publica illa quaestio videtur intelligenda, de forma, inquam, qua, cum publice tota res tractaretur, publiceque darentur indici praemia, facilior redderetur huius rei probatio.)
Caeterum si nomen adiectum sit, et iure communi iniuriarum agi poterit, (i. e. aequa facilis erit privatae actionis tractatio, quam nisi respexeris, eadem erit

⁽⁹⁾ qua de re inter eos quos iam laudavi scriptores, satis convenire videtur,

tum prioris tum posterioris caussae ratio.
 Agere enim de utralibet iicebat, etiam-
 si nullum adiectum esset nomen: con-
 demnatio in neutra sequebatur, nisi de-
 monstratum esset tum in certam perso-
 nam (cum nulla praeterea sit iniuria,
 nullum crimen) tum in eam ipsam, quae
 iam ageret, libellum esse conceptum.)
Nec enim prohibendus est privato agere iudicio, quod publico iudicio praeiudicatur:
 (i. e. ob eam rem, quod publico iudi-
 cito praeiudicium fieri non debeat)
quia ad privatam caussam pertinet (i. e.
 quia non, ut in reliquis publicorum iu-
 diciorum criminibus, publicum, sed
 privatum potius est ius accusandi:
Plane si actum sit publico iudicio, denegan-
dum est privatum: similiter ex diverso
 (e quibus verbis, quae sola ad rem
 nostram pertinent, eis quoque, quae
 modo attuli, lux affunditur: quorum
 quidem hic mihi sensus videtur, e pecu-
 liari huius accusationis quippe ad pri-
 vatam caussam spectantis iure illud
 quoque peculiare ortum esse, quod pri-

vata actione electa publicum iudicium consumeretur: quod cum ita sit, nul-
lam habendam esse praeiudicij arcendi
rationem, cum nullum superfit publi-
cum iudicium, cui fieri praeiudicium
possit). — Sed tota haec, quae circa
iniurias viguit, regulae nostrae excep-
tio, ut sero nata, ita cito denata esse
videtur: universis enim iniuriis ita
inter se aequatis, ut publica eaque ex-
traordinaria poena omnes vindicari
possent (¹⁰), non potuit iudicium pu-
blicum quibusdam olim iniuriis propri-
um / antiquari (¹¹): quo facto, quae-
cunque publici huius iudicij peculiaria
essent iura abolita esse apparat.

non

(¹⁰) *L. 45. de iniuriis.*

(¹¹) *L. 7. C. de iniur.,* quare mirandum non
est, ipsius Corneliae legis capita tantum non
omnia intercidisse, eaque quae Icti ad istam
legem commentati essent, (quo pertinet *L. 5.*
de iniur.) quasi non huius peculiare legis cri-
men, sed iniuriarum generatim tractarent de-
lictum, Digestis esse insertas.

Similis alterius ratio est exceptio-
nis, quam in adulterii caussa obtinuisse
supra dixi. Etenim Ulpiani tempore
iudicio *de moribus* uti licebat marito,
quo iudicio aut ob graviores mores sex-
tam, aut ob leviores octavam dotis
partem nancisceretur.⁽¹²⁾ Itaque cum
adulterium uxor commisisset, praeter
istud de moribus iudicium legis Iuliae
quoque marito patebat accusatio, ita
tamen, ut altero iudicio electo ab al-
tero abstineret⁽¹³⁾. Cuius rei ea ratio
fuisse videtur, quod etiam si non tota,
ut iniuriarum quidem publicum iudici-
um, ad privatam caussam pertineret
adulterii accusatio, praerogativa tamen
aliqua maritus in ea accusatione gau-
deret instituenda, qua quidem privatam

⁽¹²⁾ ULPIAN. T. 6. § 12.

⁽¹³⁾ L. un. C. Tb. *victum civiliter*: eiusdem
vestigia juris non quidem, ut IAC. GOTHO-
FREDO (ad d. L. un.) visum est, in L. 47.
sol. matr., sed in L. u. §. 3. ad L. *Jul. de*
adult. exstant.

vindictam spectante a reliquis accusa-
tionibus ista quodammodo seiungeretur.
Verum inde ab HONORIO Imp. id iuris
obtinuit, ut et tota ob adulterium dos
apud maritum remaneret, et antiquo de
moribus iudicio sublato, quaecunque
propria ei essent ac peculiaria iura eva-
nescerent (¹⁴).

Verum tantum abfuit, ut hisce ex-
ceptionibus, quibus iure prioris aevi
circumscriptam fuisse regulam nostram
monstravi, iphi quidquam regulae de-
traheretur, ut ad eam tuendam firman-
damque vel solae istae exceptiones suffi-

(¹⁴) *Ipsa Honorii constitutio exstat in L. 2. C. Tb. de repudiis:* Iustiniani practerea consti-
tutionibus tum antiquatum de moribus iudi-
cium (*L. un. §. 5. C. de rei ux. act.*, *L. 11.*
§. 2. C. de repudiis) tum coniuncta cum pu-
blica poena dotis iactura (*N. 117. C. 8. §. 2.*)
aperte probatur. Ad historiam antiqui de
moribus iudicij apprime faciunt, quae scrip-
tit **IAC. GOTHOFREDUS** *ad L. 1. C. Tb. de*
dotibus.

cerent. Primum enim egregie probant praeiudiciorum argumento nihil contineri, quod regulae illi aduersetur. Nam si ea fuisset praeiudiciorum cavendorum ratio, ut ne consumeretur publicum iudicium electo privato, in his certe causis, quibus altero alterum consumtum esse iudicium nemo negat, maxima eius cautionis cura appareret: quam, cum ab his ipsis iisque solis prorsus aliena sit⁽¹⁵⁾, longe alia spectasse nemo non videt. Et alia praeterea eaque luculentior ex istis exceptionibns peti potest regulae nostrae demonstratio: etenim disertis verbis *unam exceptam esse caussam demoribus* GRATIANUS Imp. declarat⁽¹⁶⁾: quo ipso et Gratianus et, qui ob unicam istam exceptionem sublatam haec verba refecanda putavit, Tribonianus⁽¹⁷⁾ sumnam illius regulae agnoscunt vim atque auctoritatem.

(15) *L. 6. de iniuriis* supra explicata.

(16) *L. un. C. Tb. victum civiliter.*

(17) *L. un. C. I. quando civilis actio.*

§. 17.

At ne maiorem aliquanto huic rei,
 quam res ipsa postularet, operam cui-
 quam videar impendisse, contrarias iam
 eorum Ictorum afferam sententias, quo-
 rum auctoritate quin vera huius rei ra-
 tio obruatur atque obscuretur, licet
 omnibus viribus contra nitaris, vix po-
 terit caveri. Cum enim solus FINESTRE-
 SIUS (¹) et is ipse nominis magis gravi-
 tate quam argumentis, nostram tueatur
 sententiam, omnia alia sibi persuaserunt
 IAC. CUIACIUS (²) et IAC. GOTHOFREDUS (³),
 quos quae secuta hac in re est imitato-

(¹) *I. c. §. 81-86. 88.*

(²) Cuiacii sententia colligenda est his ex locis:
Obff. XX. 26 et XXIV. 16., paratit. ad Cod.
IX. 31., recitat. ad L. 4. de pub. iud. (in
lib. 37. Pauli ad ed., T. 5. opp. ex ed. Neap.
de 1758, quam secutus sum, p. 573-576):
eius sententiam repetitam leges apud SUARE-
ZIUM I. c. C. 1.

(³) *Comm. ad L. un. C. Th. victum civiliter.*

rum turba utinam saepius et consuleret
et sequeretur!

CUIACIUS ea, quibus res nostras, et ultra res poenam forsitan persequamur, s. quae de re familiari sint privata iudicia, ab illis distinguenda esse putat, quae solam vindictam spectent: et prioris quidem generis actiones publico iudicio *non praeiudicare*, i. e. non excludere publicum iudicium et ob id ipsum ei posse *praeiudicari*, i. e. in iudicium deduci etiam si publico nondum actum sit iudicio. E contrario illas, quae solam vindictam spectent actiones, quia plures eiusdem facti poenae esse non possint, ita cum publico iudicio concurrere, ut utrovis in iudicium deducto alterum expiret, i. e. publico iudicio (pro duplici praeiudicij significatione) et *praeiudicare* et *praeiudicari non debere*. Itaque, etiam si publicum concurrat iudicium, furti agere licere: iniuriarum et de moribus non licere. Quam quidem sententiam e falsa illa *praeiudiciorum* notione or-

tam esse apparet: solum igitur hoc restat, ut, qualia reliqua eius sint praefidia, doceam. Iam, ut mittam, quam fallum sit, quod de iniuriarum actione Cuiacius contendit, (4) quicunque rem familiarem spectantia a reliquis seiungit iudicia, eorum aut originis aut exitus rationem habet. Cuiacius cum in eo, quod plures eiusdem facti non possint esse poenae nitatur, non originem (5) sed exitum spectare videtur. Iterum, si solum exitum respexeris, duplex eorum,

(4) Cuiacitis enim, ut, quae de publico iniuria-
rum valent iudicio, universis iudiciis publicis
det, Legem 6. de iniur. cum L. 7. § 1. eod.
confundit, quae leges quam diversa et fere
contraria contineant, iis explicandis (§ 15. 16)
supra monstravi.

(5) Originis causa ea rem familiarem spectare
dicuntur poenalia iudicia, quae ex iactura
quadam et patrimonii imminutione orta sunt,
ut furti actio rel.: reliqua, ut iniuriarum et
sepulchri violati actiones, et facilius amittun-
tur (L. 6. sep. viol.) et in bonis esse non cen-
sentur (L. 2. § 4. de coll. bon.)

quae ad familiarem rem pertinent, existit iudiciorum genus: etenim aut ea ita vocaveris, quaecunque ad id prodita sint, ut rem aliquam pecuniamve actor nanciscatur; quod cum universis privatis actionibus, sive poenalibus, sive rei persecutoriis, commune sit, huc facere non potest (6): aut in iis solis hocce usus fueris nomine, quae ad damnum sarcientum instituta fuerint. At ne haec quidem significatio in Cuiacii distinctione inesse potest, cum furti aequo

(6) *hac de re intelligo ultima verba Legis 4. de pub iud.*, quae cum prioribus ita cohaerent: Paulus, cum vulgatam illam antiqui iuris regulam: *ne praeiudicium fiat iudicio publico*, forte commemorasset, ab ea regula interdum recedi ait, quod, ut clarius pateat, privata quaedam affert iudicia, quibus illud fieri possit: denique in haec verba definit: *nam in his de re familiari agitur*, i. e. „nam haec „eiusmodi sunt iudicia, quibus praeiudicari „interdum publico alicui iudicio dixi, his igitur recte usus sum hanc in rem exemplis.“ Ex his apparent, neutiquam ad Cuiacii sententiam hunc locum facere.

ac iniuriarum actio solam poenam petat,
 neque ad rem persequendam ea quisquam
 uti possit. Itaque totam Cuiacii distinctio-
 nem ipsamque, quae ex ea pendet senti-
 entiam, ethi omnia, quae in adversam
 partem tuendam attuli, mittas, cum
 quovis modo explicata, aut sibi repugnet
 aut certissimis iuris argumentis, vel per
 se corruere appetet.

JACOBUS GOTHOFREDUS ipsam qui-
 dem, quam a Cuiacio inventam dixi
distinctionem, admittens, iniuriarum
 tamen actionem a iudicio de moribus
 separat, non tam ob diversam ipsius na-
 turam (etenim nullum inter utrumque
 iudicium, quoad hanc distinctionem aut
 re vera intercedit aut a Gothofredo pro-
 fertur discrimen) quam quia *unicum* Gra-
 tianus excipi dicat de moribus iudicium,
 cuius rei supra rationes reddidi. At in
 ipsis de re familiari iudiciis novum
 prorsus aliquid affert, idque ei
 quam tradidi sententiae quam maxime
 adversum. De eo enim agi statuit,
 an *victus* alterutro iudicio ad alterum

recurrere possit, i. e. an successivus f. subfidiarius, quem vocent, iudiciorum concursus admittendus sit: et admitti eum quidem plerisque in causis, in iudicio de moribus non admitti (⁷): ceterum cumulativum, quem vocent, concussum, (in quo quidem tuendo tota nostra versatur disputatio), nunquam probari posse. Atque huic novae totam rem conficiendi rationi omnia primo, quae pro cumulativo privatorum poenaliū cum publicis iudiciis concursu attuli attuli argumenta adversantur, deinde hoc quoque contrarium est, quod in plurimis, quae de publicis privatisque iudiciis concurrentibus agunt, locis promiscua est poenalium aliarumque privatarum actionum tractatio (⁸): iam cum cumulativum earum, quibus res nostras petimus, actionum cum publicis iudiciis

(⁷) eandem in rem subtilius quam verius vertit
Legem 47. soluto matrimonio.

(⁸) cf. v. c. L. 4. de pub. iud. et L. un. C. Tb.
victum civiliter.

concursum iure Romano admitti nemo quisquam dubitaverit, non modo locis sed verbis iisdem et cumulativus et successivus concursus, si vera esset Gothofredi sententia, contineretur. Neque quidquam invenio, e quo orta esse ista sententia possit, nisi inscriptionem eius tituli quem Gothofredus interpretatur: „*victum civiliter agere criminaliter posse*“, quae quidem verba ita mihi videntur explicanda: tum privatum tum publicum iudicium prius tractari posse, sed tantum abesse, ut sententiae de alterutro latae quantacunque in alterum tribuenda sit vis, (haec enim totius legis summa est sententia), ut *vel* *victus civiliter agere criminaliter possit*.

§. 18.

III. Quam in prioribus concursus generibus iure Romano obtinuisse monstravi coniunctam utriusque poenae exactionem, ea etiam pluribus publicis crimibus in eodem facto concurrentibus servabatur.

Et PAULUS quidem (¹) *Senatum censuisse* refert, *ne quis ob idem crimen pluribus legibus reus fieret*. Quae quidem verba de formali publicorum criminum concursu ita interpretati sunt Icti nostri, ut coniunctam utriusque poenae exactio[n]em iis negari statuerent. At ego censeo, non de formali concursu, sed de eo facto Paulum agere, quo unicum crimen contineretur. Quamquam enim formali concursu *unum delictum* contingit a nonnullis Romanis Ictis dicitur (²), alio tamen eoque rectiore (cf. §. 2) loquendi modo usum fuisse Paulum e constitutione quadam DIOCLETIANI et MAXIMIANI appetat, quam ad id ipsum conditam esse dixeris, ut lucem aliquam Paulo afferret: (³) *Qui de cri-*

(¹) *L. 14. de accusat.*: Tito forsitan imperante istud conditum est Sc., cf. *Suetonium in Tito, C. 8. in f.*

(²) cf. *L. 2. pr. de privat. del.*, *L. 32. de O. et A.*

(³) *L. 9. C. de accusat.*

mine publico in accusationem deductus est,
ab alio super eodem crimen deferri non
potest. Si tamen ex eodem facto plu-
rima crima nascuntur, et de uno cri-
mine in accusationem fuerit deductus: de
altero non prohibetur ab alio deferri rel.
Itaque, ut dixi, de eo facto Senatus ve-
tuit pluribus legibus quaeri, quod uni-
cum crimen contineret: cuius rei haec
ratio fuisse videtur. Etenim de eodem
crimine plurimae saepe latae erant leges,
quarum aliis aliae succedebant, quae
illas corrigerent, supplerent, in memo-
riam revocarent. Cum autem reus e
recentissima, quae de crimen aliquo lata
esset, lege esset absolutus, saepius forte
eveniebat, ut e priore quadam lege ab
eodem iterum accusatore deferretur:
quaerebatur igitur, utrum admireretur
haecce accusatio, an fine sententia statim
reiiceretur. Quam quidem quaestionem
a nostra quam maxime diversam fuisse
apparet. Cum enim nostra in eo ver-
setur disputatio, utrum plurium legum
quas simul obtinere constet, inter se con-

iungi possint poenae, tunc contra de eo ipso quaerebatur, utrum simul vigerent plures de eodem crimine leges, an recentissima antiquatae censendae essent priores. Movebat dubitationem, quod in civili quidem iure nova quadam obligatione (v. c. poena privata) constituta pristinae eiusdem facti obligationes neutiquam antiquatae esse censerentur (⁴). De hac igitur quaestione pronuntians Senatusconsultum, illud quod de formalī concursu est, ne attingebat quidem argumentum: neque praeter supra appositam constitutionem, quae et ipsum confirmat Senatusconsultum et formalem simul tractat publicorum criminum concursum, ullum de huiusmodi concursu exstat legum iudicium.

Itaque, ne exemplis careat hicce disputationis locus, si quis ob annonam vi retentam (⁵) delatus, poenam XX

(⁴) *L. 41. pr. de O. et A.*

(⁵) *L. 2. §. 1. de lege I. de annon.*

aureorum solvisset (⁶), ex lege Iulia de vi rursus poterat accusari. Aut si armatos quis coegisset, ut magistratum populi Romani occideret, e tribus legibus aqua et igni ei poterat interdici: quarum altera absolutus ex altera rursus poterat deferri.

§. 19.

Iis, quae hucusque proposui, concursus generibus totum continebatur usque ad Principum tempora concursus argumentum: iam nova sub Impp. accedunt crimina publicis poenis extra ordinem plectenda, quorum tum cum pristinis tum inter se concursum nunc exponam.

IV. Ex eodem igitur facto si et *pri-vata* et *publica* eaque extraordinaria poena nascatur, earum electivum esse poenarum concursum, neque utramque un-

(⁶) *L. 2. §. 2. eod.*

quam expeti posse, plerique statuunt⁽¹⁾. Cuius quidem opinionis nullam esse vim apparet, nisi in illis extraordinariis poenis, quae pristino facti cuiusdam poenali eique privato iudicio superaddita sunt, sicut ipiuriarum furtique publicae coercitiones: earum enim eām esse naturam statuunt, ut et privatā eiusdem facti poena consumantur, et ipsae exactae eam extinguant. At ubi privatae poenae alia, alia extraordinariae est ratio, nihil est, quod coniunctae poenarum exactioni obstare videri possit. Itaque qui iniuriae facienda caussa domum alterius coactis hominibus diruerat, et ex edicto in quadruplum et (si publicam poenam inferri actor maluisset) extraordinaria iniuriarum poena praeterea tenebatur.

At ne in illo quidem, e quo ortam esse contrariam aliorum sententiam dixi, concursus genere utramque simul poe-

(1) Haec est sententia FINESTRESII l. c. §. 87.

nam solvendam esse, negaverim. Et-
enim facile concedo, ipsum laesum al-
tera poena electa alteram expetere non
posse, et ita IULIANUS respondit, eum
qui ad praefectum vigilibus praefidem-
ve (quorum erat publice furtu coercer-
re) furem deduxisset, furti actione age-
re non posse⁽²⁾. Sed quid obstat, quo
minus ab alio publica exigi possit poena,
quam ipse laesus persequi haud amplius
potest? aut qui poterit fieri, ut
alius publicam expetens poenam pri-
vatum laeso auferat poenale iudicium?
Quod enim plerique putant, neminem
nisi ipsum laesum eiusmodi publicas
persequi posse poenas, equidem mihi
persuadere nullo modo possum. In in-
iuriarum enim caussa id iuris obtine-
re⁽³⁾, ad reliqua privata delicta nihil
refert: eius enim delicti persecutionem
ita propriam ipsi laeso censuerunt Ro-
mani, ut ne publici quidem iudicii

⁽²⁾ L. 56. §. 1. de furtis.

⁽³⁾ §. 10. I. de iniuriis.

propter iniurias accusationem (quae in omni alia caussa cuiquam patebat) ulli alii permitterent (cf. §. 16. not. 4).

Romanis certe hanc concursus rationem etiam hoc in loco placere ex ipsis, quibus utimur legibus, appareat. In hanc enim sententiam, (ut GRATIANI constitutionem omittam, quae tamen non publica solum, sed omnia *crimina-
lia* spectat iudicia, quibus quidem extra-
ordinaria quoque contineri nemo est qui neget) PAULUS eum qui vectigalis nomine illicite aliquid exegisset et pri-
vatae et publicae eiusdem facti poenae obnoxium esse his verbis (4) censet:
*Quod illicite . . exactum est, cum altero
tanto passis iniuriam exsolvitur: per vim
vero extortum cum poena tripli restituitur.*
Amplius extra ordinem plectuntur.

V. Eadem est *publicorum iudiciorum*
et *extraordinariarum*, quae ex eodem

(4) L. 9. §. 5. de *publicandis*.

facto fluunt *poenarum* ratio, modo ita factum aliquod finixeris, ut vere existat criminum concursus. Nam ubi crimen quoddam, cuius poenam antiqua lex constituerat, extra ordinem nunc coerceri Icti referunt, (5) recentiori usū antiquatam esse pristinam poenam apparet. Itaque unicum idque, si poena in species, extraordinarium commissum est crimen, neque in plures leges factum quoddam incidere potest cum unica vigeat lex, quia illud continetur.

Haec igitur veri huiusmodi concursus posita sint exempla: Qui vi aliquem impulerit, ut dolo quid faciat quod instellionatus incidat crimen, et ipse extraordinaria stellionatus poena coeretur, et tertia praeterea bonorum parte ex lege Iulia multatur. Aut si

(5) eiusmodi enim exempla ad eam qua utar sententiam refutandam **FINESTRESIUS** (*l. c.* §. 72) affert.

quis furtum fecerit, quo annonam simul cariorem reddat, et ex lege Iulia eum accusari et ob furtum extra ordinem coerceri posse statuo. Cuius rei argumentum vel e Diocletiani constitutione supra (l. 18) commemorata sumere licuerit: etenim his quidem temporibus etiam extraordinaria crimina *publicorum* nomine contineri arbitror.

VI. Atque hanc rationem si admiseris, non poteris in postremo capite, quod *extraordinaria crimina inter se concurrentia* comprehendit, non mecum sentire: in quo tamen simili quadam ac in proxime praecedente cautione opus est. Non enim balnearios fures aut expilatores⁽⁶⁾ duplicitis criminis reos esse dixerim, quasi tum simplex tum aliud quoddam idque gravius furtum commisissent. Quid enim aliud hoc est,

(⁶) etenim hisce pro contraria tuenda sententia FINESTRESIUS (l. c. §. 73. 78.) utitur exemplis.

quam gravior aliqua eiusdem criminis
forma insignioris poenae expetendae
caussa a reliqua eiusdem facti tractatio-
ne legibus seiuncta, i. e. *excepta*? Ita-
que in quovis furto non nisi unicum
crimen apparet, idque aut ex generali
furti formula aut (si in pravius illud furti
incidat genus) pro balneario furto vel
expilatione puniendum. At si quis fur-
to effecisset quo minus annonae copia
esset (extraordinaria enim recentiori
iure esse quae in annonam committan-
tur crimina constat), aut si sepulchrum
quis diruisset ut vivo alicui iniuriam fa-
ceret, verum esse criminum concursum
atque coniungendas extraordinarias eo-
rum poenas statuo.

S E C T I O III.

D E I U R E G E R M A N I C O.

§. 20.

Postremum hoc disputationis caput eo brevioris erit tractationis, quo minus lege nostra, uti fere solet ubi summa quaedam ac generalia constituenta erant criminum argumenta hanc in rem scriptum legitur. Etenim nihil in ea lege ineft, quod formalem concursum spectet nisi quod de singulis nonnullis criminibus articulis CVIII et CLXIII continetur.

Quorum quidem prior locus violatae *urphedae* poenam ita statuens, ut si eo facto urpheda violetur, quod factum et ipsum per se capitale sit, *haec ipsa* capitis poena sumatur (i. e. urpheda violata omnino negligatur), neutiquam ita intelligendus est quasi eam quam adhuc probandam monstravi sententiam neget. Urphedae enim violationem non per se, ut alia fere crimina, sed quia alia minetur maleficia, i. e. ad securitatem ipsa poena exacta praestandardam puniri constat: quare cum capitis suppicio ob alia forte facta sumto omne evanescat laesiorum periculum, nihil est quod peculiarem urphedae rationem tunc haberi suadeat.

Neque maior in altero, quem dixi, Carolinae legis loco ad contrariam sententiam tuendam vis ineſt. Postquam enim priorum serie articulorum poenas singulis furtorum generibus Carolus praefituerat, hoc ipso articulo eiusmodi factum quod in plures harum le-

gum poenas incidisset ita puniri voluit, ut *omnium maxima* poena sumeretur, i. e. reliquae negligerentur. Et duplex quidem caussa obstat, quo minus nostrae sententiae adversari haec lex dici possit: tum ea quod ob capitales poenas furtis saepius *imminentes poenarum* concursus, qui huius loci non est (§. 1), plures istius facti poenas exigi plerumque vetat: tum ea quod concurrentibus *eiusdem generis* delictis, quorum peculiarem et a reliquis diversam esse rationem supra (§. 2) docui, hac lege agitur.

Sed etiam si ad formalem omnino delictorum concursum istae pertinerent leges, ad nullam tamen caussam eas trahere liceret nisi ipsas illas quas hisce contineri legibus docui. Etenim plerique ita leges interpretantur, ut pro suo quisque arbitrio ad omnia alia quam quae in ipsis legibus insunt, eas extendat: quod quamquam in *Digestorum* et *Codicis* magna parte, pro singulari illo modo quo orta esse haec le-

gum corpora nemo nescit, fieri posse facile concedo, ab omni tamen alia lege explicanda exfulare debere censeo⁽¹⁾.

Alia omnia iis quos Pragmaticos vocant scriptoribus, Carolina lege cum vetustioribus tum recentioribus, placuerunt. Etenim tum ex iis, quae in privatorum delictorum concursu PAULUM censuisse supra docui (§. 6), tum ex falsa illorum opinione, qui unicum formalii concursu delictum contineri statuunt (§. 2), tum denique e poenarum concursu cum hac re confuso (§. 1), conflata est vulgaris illa, qua et materialis et formalis concursus continetur, regula: *Poena maior absorbet*

⁽¹⁾ Itaque ne iis quidem assentiri possum, quae docet cel. FEUERBACH, *Lehrbuch des peinlichen Rechts*, §. 155., quanquam a consueta istarum legum interpretatione quam maxime recedat. Neque enim ad materialem, neque ad formalem omnino concursum, sed ad omnia tamen eiusdem generis delicta concurreria eas trahit.

minorem, in qua tamen tuenda adeo
sibi non constiterunt, ut infinitis potius
ampliationibus, *limitationibus*, *sublimitatio-*
nibus eam penitus tollerent. At si quis forte
postulaverit, ut eorum argumenta et
exponantur et ad rectiorem revocentur
doctrinam, solum CARPOVIVM (2) ad-
eat, ipseque hunc, quem equidem sus-
cipere minime gestio, tentet laborem.

(2) *Pract. rer. crim. Qu. 132.*

§. 21.

- L I B E L L I S U M M A .

Ad ea nunc revertor, a quibus univerfa haec profecta est disputatio. Et enim coniungendae plurium poenarum exactionis regulam, quam, et si nulla lege de concursu quidquam statueretur, probandam esse monstravi, et Romanis legibus firmari, neque vero Germanicis tolli hactenus docere studui. Absoluto igitur universo quod ipsorum *delictorum* concursum spectat arguento, iam, ut tota conficiatur concursus ratio, de *poenarum* concursu quaerendum esse appetet: quod quidem ab huius tractationis fine alienum in ipso libelli limine pronuntiavi.

Corrigenda.

- P. 6 l. 6 pro *quorum* l. *quarum*.
- 24 - 19 pro 31 l. 32.
- 28 - 3 pro *iden* l. *idem*.
- 29 - 10 post *Pagenstecheriana* add. [admonit.
ad *Pand.* P. 6. §. 289].
- 38 - 21 pro *ud* l. *ad*.
- 42 - 20 post *Neap.* adde *de anno 1758*.
- 44 - 21 pro 31 l. 32.
- 59 - 21 pro *Paulus v. i.* l. *Pauli rec. sent.*
Lib. 5. Tit. i. §. 1.
- 69 - 12 et 13 pro *Polti* l. *Polleti*.
NB. 99 - 14 post *proprium* add. *non*.
- 108 - 13 del. *attuli*.
- 117 - 21 pro *utar* l. *utor*.

Kd 2013

ULB Halle
003 898 903

3



VD 18

W

B.I.G.



DISSERTATIO
INAUGURALIS IURIDICA
DE
**CONCVRSV
DELICTORVM FORMALI**

Q V A M
S V E A V S P I C I T I S
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
P R I N C I P I S
G V I L I E L M I I X.
HASSIAE LANDGRAVII REL.
ACADEMIAE
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRECONSALTORVM ORDINIS
PRO SVMMIS
IN VTROQVE IURE HONORIEVS
RITE OBTINENDIS
D. XXXI. OCT. A. MDCCC.
PVBLICE DEFENDET
A V C T O R
Fr. CAR. DE SAVIGNY
MOENO - FRANCOFVRTANVS.

M A R B U R G I,
TYPIS KRIEGERI ACADEMICIS.